NAZ.
e III

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIII
C
13
NAPOLI

XL, III
6.
13.

CASPARI KNITTELII
é Societate JESU.
VIA REGIA
AD OMNES SCIENTIAS ET ARTES.
Hoc eſt:
ARS
UNIVERSALIS
Scientiarum omnium Artiúmque Arcana faciliùs penetrandi,
Et de quocunqve propoſito themate expeditiùs diſſerendi.
PRACTICE, CLARE, SUCCINCTE.
CURIOSO AC STUDIOSO LECTORI CONSCRIPTA
Et cum adjunctis Theſibus Philoſophicis curioſis propugnata

NAPOLI

PRAGÆ,
Sumptibus JOH. CHRISTIAN LAURER
& proſtat LIPSIÆ,
apud JOH. FRIDERICH GLEDITSCH.
ANNO M DC LXXXVII.

ILLUSTRISSIMO
AC EXCELLENTISSIMO
Domino, Domino

FRANCISCO
UDALRICO

SACRI ROMANI IMPERII
Comiti de Chinitz &
Tettau, Domino in
Chlumetz,

SAC: CÆS: MAJ.
Conſiliario Actuali,

INTIMO
Camerario, Regio Locum-
tenenti in Regno Bo-
hemiæ,

APPELLATIONUM

REGIARUM

PRÆSIDI,

Supremæ Curiæ Regiæ

ASSESSORI,

Nec non

AULÆ REGIÆ

PRÆFECTO:

Domino, Domino,

ac

PATRONO

Præcipua veneratione

colendo.

XCELLENTISSIME
Domine Domine COMES.

ADſum *Viator* cum VIA REGIA. In via defatigatus *umbram* anhelo ſub Tua protectione. Imò ub Illuſtriſſimo Tuo nomine *lu-*
em. Alioquin VIA hæc REGIA,
tut in lucem edita, latebit igno·
ilis ac obſcura. Eſt VIA *ad o-*
mes Scientias & artes. Hanc *Ex-*
ellentiæ Tuæ offero, non ut per e-
m ambules; ſed, quia Univer-
am illam pridem perambulâſti.
ſcit hoc Auſtria, Bohemia, Bel-
gium. Imperium, Mundus. Nec
olùm videris Scientiarum quæ·
dam *Confluentia* ac *viva Biblio-*

theca, ſed etiam es. Et quod nobilius eſt, hæc tot ac tanta diſcere voluiſti non bono tuo privato, ſed publico; ut & eſſe judiceris, & paſſim voceris *Magnus Juſtitiarius*. Fax Reip. illuminatiſſima! facis, quod fax: luces ac conſumeris aliis. Illuſtriſſimum anathéma ad quot Curias, ad tot aras AUGUSTI ſemper affixum fideliter, *ex voto*. Hoc ità ſoles pronunciare, ut non Tu in te, ſed ſalus AUGUSTI ac incolumitas publica loqui ex te & ſuffragia ferre videatur. In *Conſilio Intimo* Maximi Cæſaris *Conſiliarius*, ſapientiæ lumen, an flumen? conſilia prudentiſſima non guttatim ſpargis, ſed fundis. Sapientiſſimi Apellationum Collegii Præſes tot jam annis ità præſediſti, ut hoc Tribunal vel à Te tranſierit in Areopagum vel in quandam Delphon oraculorum. *Locum-*

tenens

enens Regius primæ magnitudi-
is ſtella in Regno fulges cum
Docta Nobilitate Bohemica, ſicut
plendor firmamenti. *Legatus*
Cæſareus ter: ſemel ad *Saxonem*,
in *Polonias* ſemel, tertiùm *Novio-*
magum Batavorum ad illud Syne-
drion Sapientûm ex univerſa Eu-
ropa. Inter hos rem AUGUSTI
tam ſolerter diu noctúque pro-
curabas, ut, etiam hoſtibus, mi-
raculo fueris: tam acutè omnia
vel à longè proſpiciebas, ut in *Po-*
liticis quidam *Vates* haberére:
tam deniq; ſcienter in omnibus
agebas, ut Britanni, Iberi, Galli,
Gothi, Dani, ceterique Regum
ac Principum innumeri Miniſtri
Te *Doctiſſimum* palàm pronunci-
arent. Verbò, novit Mundus
Excellentiam Tuam in ſcientiis ac
Artibus ſic excellere, ut quod-
dam haberi debeas *Panatheneum*
ac *Palladium* univerſale.

Quare fas erat ac jus, ut *Artem Univerſalem Sciendi* à meo in Philoſophia Magiſtro (*Excellentiæ Tuæ* in illo difficili Batavico itinere fido ac individuo comite) conſcriptam, jámque cum *Poſitionibus Philoſophicis* à me propugnandam, Tibiquàm demiſſiſſimè ſubſternerem. Confido fore, ut *Excellentia Tua* pro eo, quo in Univerſam Remp. literariam fertur, affectu peculiari, me in hoc agone Scholaſtico gratiosâ benevolentiâ firmet. Mearum interim erit partium, obſequia mea, non ex parte, ſed ex toto, tum *Eccellentiæ Tuæ*, tum *Excellentisſimæ Tuæ Domui* obligare, qui æternùm maneo

Excellentiæ
Tuæ

Devotiſſimus Servus
JOAN: FRANC: MORAK
Eques de Mörensfeldt.

AD
LECTOREM.

MI LECTOR! ut nomen exerceas, iter lege, & in itinere relege veſtigia, quæ monſtro. EN VIAM! in qua diſcurrendum capiti, pedibus quieſcendum. ANIMA FIT SAPIENS SEDENDO. En VIAM REGIAM! hâc itur ad SCEPTRA, quæ ſapientiæ præferuntur. Hæc via, quò communior, hòc ſingularior. Quid enim in orbe nunc ſingularius, quàm Bono communi vel obeſſe nolle, nedum prodeſſe. En ARTEM VNIVERSALEM SCIENDI, velut alteram iliadẽ, in nuce. Non ſit tibi durum frangere corticem; fructus dulciſſimus latet in medulla. In hac Epitome, nî fallor, de hac Arte ſunt omnia, præter EXERCITIŨ. Hoc TIBI relinquere volui, ut, quod hîc eſt & meum & non meũ, facias tuũ. Miſcui novis vetera, veteribus nova, ut & noviturientibus eſſet ad palatum, & ſtomachum Veteranis non moveret.

Sty-

ſtylo ſum uſus, ſimplici ac optusô, ne veritas vulneraretur. Inſuper ſcribo præſertim Scholaſticis Tironibus, quibus etiam in Commentationibus ſæpe neceſſarius eſt Commentator. Et hoc eſt quòd terminis interdum utar barbaris, quos quidem in Scholis longior uſus pridem feciſſe videtur civiles. Ceterum, quod te velim advertere, potiſſimum eſt, ut hanc VIAM REGIAM non legas tranſultim; ſic enim in hac ipsâ gradus excipit gradum, ut ab extremo ad extremum difficulter pervenias, ni medium aliquo ſaltim modo contingas. Demum oro, ut quod in hac VIA obviaverit BONI, totum adſcribas SUMMO BONO, quod verò MALI, hoc SUMMO MALO, id eſt, MIHI; MEA enim MAXIMA CULPA!

INDEX PARTIUM ET ARTICULORUM.

PARS PRIMA.

Prolegomena.

ARTICULUS I.

AN ſit poſſibilis Ars univerſalis ad omnes ſcientias & Artes?

ARTICULUS II.

Quidnam ſit hæc Ars?

ARTICULUS III

De Inventione medii ad hanc artem neceſſaria, quid ſit in generali?

PARS

PARS SECUNDA.

De Arte Combinatoria.

ARTICULUS I.

Ars combinatoria definitur.

ARTICULUS II.

Ars combinatoria dividitur.

ARTICULUS. III.

Ars inveniendi, quoties inter ſe res quotcunque posſint permutari, ſeu locum mutare.

ARTICULUS IV.

Ars inveniendi, quoties res propoſitæ posſint permutari, ſi inter eas ſint aliquæ ſimiles.

ARTIC: V.

Ars inveniendi omnes posſibiles combi-

*binationes ſecundùm rem diver-
in rebus quotcunque propoſitis.*

ARTIC: VI.

*Regula propoſita declaratur ex-
plis.*

ARTIC: VII.

*Ars inveniendi quotcunque re-
um propoſitarum combinationes ſe-
undùm rem diverſas, in binariis
antùm vel ternariis tantùm.*

ARTIC: VIII.

*Ars inveniendi omnes poſſibiles
combinationes rerum tam ſecundùm
rem, quàm ſecundùm ordinem di-
verſas.*

ARTIC: IX.

*Ars omnes poſſibiles combinatio-
nes combinationum inveniendi & ſe-
cundùm rem & ſecundùm ordinem
diverſas.*

ARTIC: X.

Fructus ingens Artis Combinatoriæ in omnibus ſcientiis humanis.

ARTIC: Ultimus.

Fructus alii cum παραδόξοις *ex Arte combinandi promanantibus.*

PARS TERTIA
De Arte Analogica.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex ſit Ars Analogica?

ARTIC: II.

Artis Analogicæ Regulæ cum Exemplis.

ARTIC: III.

Plura Exempla.

ARTIC: IV.

Quantum Ars Analogica ſerviat Scientiis & Artibus humanis & addiſcendis & inveniendis?

ARTIC: V.

Quomodo Principia unius Scientiæ ad aliam applicentur?

ARTIC: VI.

Plura Exempla.

ARTIC: VII.

Experimenta curioſa Analogica.

PARS QVARTA

Ars Univerſalis Sciendi, aut potiùs ignorandi, Hebræorum ac Pythagoræorum.

ARTICULUS I.

De Cabala Hebræorum.

ARTIC: II.

Cabala Hebræorum falſa quotuplex?

ARTIC: III.

Gabala Hebræorum vera dividitur.

ARTIC: IV.

Schema 10. Sephiroth & influxus Nominum DEI in inferiora.

ARTIC: V.

De Cabala Pythagoricorum.

ARTICULUS: Ultimus.

Prædicamenta Pythagoræ, eorum origo & obſcuritas.

PARS QUINTA.

Ars Univerſalis Sciendi ac differendi Ariſtotelica.

ARTIC·

❀)o(❀

ARTICULUS I.

De Categoriis ſive Prædicamentis.

ARTIC: II.

Adminicula ad Ariſtotelis Prædicamenta pro praxi pernoſcenda.

ARTIC: III.

Ars Generalis inveniendi medium ad quamcunque datam propoſitionem aut probandam aut oppugnandam.

ARTIC: IV.

Hujus Artis neceſſitas & univerſalitas.

ARTIC: V.

Ars dialectica Ariſtotelica planè ac breviter, novóq; ordine proponitur.

PARS SEXTA.

Ars Univerſalis ſciendi & differendi Lulliana.

ARTICULUS I.

Artis Lullianæ Synopſis.

ARTIC: II.

Praxis & Defectus Artis Lullianæ.

PARS SEPTIMA.

Ars Univerſalis ſciendi ac differendi Lulliano-Kircheriana.

ARTICULUS I.

Totius Artis Fundamenta.

ARTIC: II.

Quæſtiones 9. breviter explicantur.

ARTIC: III.

Prin-

Principia abſoluta explanantur.

ARTIC: IV.

Principia reſpectiva declarantur.

ARTIC: V.

De Terminis reducibilibus ad Principia abſoluta.

ARTIC: VI.

De Terminis reducibilibus ad Principia reſpectiva.

ARTIC: VII.

Novem Subjecta Univerſalia breviter deſcribuntur.

ARTIC: III.

Uſus artis Lulliano - Kircherianæ.

ARTIC: IX.

Utilitas mirifica Artis Lulliano-Kircherianæ in quolibet Themate expeditè ità diſponendo, ut

inde quis innumerabilem ſcribendi, dicendive copiam habeat.

ARTIC: X.

Utilitas Artis hujus omnino paradoxica improbandis & oppugnandis quibuſcunque propoſitionibus quarumcunq; ſcientiarum.

ARTIC: XI.

Modus hanc artem mirabilem diſcendi.

ARTIC: Ultimus.

Tabula Combinatoria. In qua per Artem combinatoriam Principia tum abſoluta tum reſpectiva Lulliano-Kircheriana ità diſponuntur, ut eâ, quidquid in humanarum divinarumque rerum Scientia latet abſconditum, erui posſit.

PARS
OCAAVA.
Ars noſtra univerſalis ſciendi & diſſerendi.

ARTIC: I.

Artis hujus noſcendæ occaſio.

ARTIC: II.

Ars tota Tironi explicatur.

ARTIC: III.

Eadem ars Exemplo in abſtracto declaratur.

ARTICULUS IV.

Ars eadem Tironi proponitur ad quamcunque datam propoſitionem probandam.

ARTIC: V.

Idem proponitur Tironi ad quamcunque datam propoſitionem oppugnandam.

ARTIC: VI.

Maxima difficultas in hac arte diſſolvitur.

ARTIC: VII.

Adjumenta ad celeriùs & faciliùs deſiniendum deſcribendumq;

ARTIC: VIII.

Plura Adjumenta.

ARTIC: IX.

Reliqua Adjumenta.

ARTIC: X.

An etiam diviſio conducat ad Artem noſtram?

ARTIC: XI.

Adminicula ad expeditiùs dividendum.

ARTIC: XII.

Plura adminicula ad expeditè dividendum.

PARS NONA

Ars propoſita in præcipuis Scientiis & Artibus per exempla monſtratur.

ARTICULUS I.

Exempla Theologica.

ARTIC: II.

Exempla Juridica.

ARTIC: III.

Exempla Chymico-Medica.

ARTIC: IV.

Exempla Metaphyſica, Phyſica, Logica.

ARTIC: V.

Exempla Ethica, Politica, Oeconomica.

ARTIC: VI.

Exempla Mathematica.

ARTIC: VII.

Exempla Rhetorica.

ARTIC: VIII.

Exempla Poetica.

ARTIC: IX.

Exempla in Artibus Illiberalibus.

PARS
ULTIMA.

Praxes multùm curioſæ ac utiles, expeditè diffuséque de quocunque propoſito Themate diſcurrendi, quærendi, reſpondendi, ſcribendi, argutandi &c. ex artibus hucuſq; propoſitis deductæ, & pro Colophone curioſo Lectori ad uſum promiſcuè communicatæ.

PRAXIS I.

De quacunq; quamvis abſtruſa materia tam numeroſas Quæſtiones ex-

peditè proponendi, ut etiam reſpon-
ns pereruditus ſatiſcere cogatur.

PARXIS II.

Modi argumentandi etiam lon-
ſſimo tempore de una re, ità ut ma-
ria nunquam deficiat, nec medius
rminus mutetur.

PRAXIS. III.

Clavis Arcanorum compendioſs-
ima tribus litteris comprehenſa ad
nne ſcibile & diſſeribile.

PRAXI VI.

De quacunque re propoſita ſtatim
totum librum in capita dividendi
cum uberrima tractandarum rerum
materia.

PRAXIS V.

De quacunque re propoſita ex tem-
pore diſcurſum formandi.

PRAXIS IV.

Modi ex tempore de quacunque propoſitione argumentandi.

PRAXIS VII.

Librum integrum, præſertim de alicujus vita aut de quocunq; propoſito themate, cum facilitate, memoriâ retinendi.

PRAXIS VIII.

Modus ex tempore de quocunque themate concionandi, ſive perorandi, cum Exemplis.

PRAXIS IX.

Modi orationem mentalem per horam, imò dies & ſeptimanas, vel in uno verbulo, protrahendi.

PRAXIS X.

Rem quamcunque expeditâ hypotypoſi deſcribendi.

PRAXIS XI.

Per parabolas, Apologos, & Fabulas quodcunq; facilè proponendi.

PRAXIS XII.

Pari facilitate Emblemata, Symbola, Hieroglyphica inveniendi.

PRAXIS XIII.

Quomodo etiam puerulì brevi tempore, in ipſis Grammaticæ primordiis, plurima Scientiarum, præſertim naturalis & moralis, myſteria facillimè addiſcere & ità vel à longè animum ad altiora egregiè diſponere posſint?

PRAXIS XIV.

Docet ingeniosè ex libris furari, aut modeſtiùs, mutuari.

PRAXIS XV.

De quacunque re hiſtorias expeditè & ſcribendi & narrandi.

PRAXIS XVI.

Modi facillimi Adverſaria de quacunque re faciendi, ſive audita, lectave notandi.

PRA-

PRAXIS XVII.

Docet Iliadem aut etiam librum majorem in nucem includere.

PRAXIS XVIII.

Docet è Principiis Pythagoræ de omni re propoſita diſcurſum formare.

PRAXIS XIX

Per locos Ariſtotelicos expeditè de quacunque propoſitione diſcurrendi.

PRAXIS XX.

Inexpectatos, ùt vulgò vocant, conceptus de quocunque propoſito themate facile reperiendi.

PRAXIS XXI.

Quomodo locos communes cùm pro diſſerendo, tum pro memorando quocunque propoſito themate in corpore noſtro velut ſtigmata circumferre poſſimus?

PRAXIS XXII.

Modi cùm domi, tum militiæ ope prædictarum artium expeditiùs de quacunque materia conſilia dandi.

PRAXIS XXIII.

Diſcurſum ſinè fine protrahendi.

PRAXIS XXIV.

Omnes argutiæ ad unicam regulam reducuntur, & modi faciles argutandi de omni re propoſita proponuntur.

PRAXIS XXV.

Arcanum pro Rhetoribus & Concionatoribus, quod ſi quis bene penetret, quodcunque aſſumptum thema in infinitum multiplicare poteſt.

PRAXIS XXVI.

Inſolitus & mirabilis modus, ex falſo ut tali verum demonſtrandi.

PRAXIS ULTIMA.

Quidlibet per quidlibet probandi.

EPILOGUS
Ad Finem ſinè Fine.

Inſcriptio ultima totius opuſculi pericyclica, in qua reditur in circulum à principio ad finem & à fine ad principium.

Sequuntur Theſes Philoſophicæ, in quibus ſeveriora utili curioſitate temperantur, multaq; ex Phyſica curioſa, Magia naturali, Technica mirifica, aliiſque haud inamœnis Scientiis ac artibus adducuntur.

PARS
PRIMA.
Prolegomena.

Quæſtionum omnium primæ de quavis re ſunt: an & quid? *unde convenit eas ceteris omnibus præmittere. Sit ergo*

ARTICULUS I.
An ſit poſsibilis Ars univerſalis ad omnes Scientias & Artes?

O*Mnis homo naturaliter ſcire deſiderat,* inquit Ariſtoteles. Nam μηδὲν γλύκιον, ἢ πάντα εἰδέναι ait Magiſter ejus Plato: *Nihil dulcius eſt, quàm omnia ſcire.* Sed quoniam *ars longa, vita brevis,* ùt habet Hippocrates aph. 1. nullô non ſeculô ingenia fuére ſitibunda, quæ ingenti cum avitate quandam Artem Univerſalem quæſierunt, quà modicô tempore ad omnium ſcientiarum & artium adyta perfacilè introducerentur. Inventi ſunt autem ſemper, & inveniuntur, qui curioſorum ejuſmodi conatus ingeniorum tanquam fruſtraneos irrident, quemadmodum & eorum, qui vel *lapidem Philoſophorum*, vel *lumen inextinguibile*, vel *motum perpetuum*, vel *circuli*

quadraturam inquirunt. Verùm haud putârim conatus eorum irritos unquam fuiſſe, quin potiùs laudabiles. Nam

Primò. Si cæteræ humanæ potentiæ in operationibus ſuis tam mirificè juvantur artibus, cur intellectus arte quâdam Univerſali ad eruderandas rerum omnium Veritates adjuvari non poſſit?

Secundò. Amabò! inſpice penitiùs eximia quorundam veterum opera, & indicium advertes, eos legitimam Artem ſciendi tenuiſſe, ſed diſſimulâſſe, occultaſſéque ut eorum inventa mirabiliora viderentur.

Tertiò. Ab actu ad potentiam rectè argumentor. Quare ſi artem hujuſmodi inventam oſtendo, poſſibilis eſt. Hanc autem ut videas, veni mecum ad *Prædicamenta* Pythagoræ ad *Logicam* Ariſtotelis, ad *Artem Mirabilem* Raymundi Lulli, ad *Syntaxes Artis Mirabilis* Gregorij Tholoſani, ad *Typum omnium ſcientiarum* Ægydij Moncurrii, ad *Artem Cyclognomicam* Cornelij Gemmæ ad *Methodum Mirificam* Petri Sanchez, ad *Digeſtum Sapientiæ* Ivonis Pariſini, ad *Inſtaurationem novam* & *Organum novum* Franciſci de Verulamio, ad *Pharum ſcientiarum* R. P. Sebaſtiani Izquierdo Societatis Jesu, denique ad *Artem magnam Sciendi* Ἀθανασίȣ, hoc eſt, immortalis Kircheri, Societatis ejuſdem.

ARTICULUS II.

Quidnam ſit hæc Ars?

PRimò. Artem Univerſalem Sciendi vocant alij Encyclopædiam apud antiquos celebratiſſimam,

ſimam, quæ non in omnium Scientiarum aggregato, ſed in ſpeciali quadam Sciencia & Arte ob ſummam ſuam univerſalitatem omnes omninò Scientias humanas artéſque complectente conſiſtit. Verbo Encyclopædia eſt *Scientia de Scientia & de ſcibili in univerſum.*

Secundò. Artem Sciendi univerſalem vocant alij methodum Univerſalem, quâ per artificioſam combinationum ſeriem de omni re propoſita rationibus propè infinitis diſſeri poteſt. Nec quidquam tam reconditum eſt in Scientijs artibúſque humanis, quod eâ, tanquam clavi quâdam generali, nequeat facilè referari, ſi quis Scientiarum Artiúmque humanarum terminos, quorum combinatio inſtituenda eſt, præcalleat.

Tertiò. Artem Univerſalem Sciendi vocant alij Artem Generalem, quâ pro omni re propoſitâ ſeu jam probanda ſeu oppugnanda cum facilitate Medius terminus inveniatur. De qua inventione ſit.

ARTICULUS III.

De Inventione medij ad hanc artem neceſſaria. quid ſit in generali?

MI Tiro! ut hoc ipſum rectè intelligas, memento in quavis propoſitione contineri tria: *Subjectum*, *prædicatum* & *copulam*. *Subjectum* eſt id, de quo aliquid aut affirmatur aut negatur. *Copula* dicitur Verbum *eſt* quaſi quidam nexus inter *ſubjectum* & *prædicatum*. Hoc ſuppoſito.

Nota I. Si vis probare, *propoſitionem* aliquam *affirmativam*, debes oſtendere ſubjectum & prædicatum eſſe idem cum uno tertio; & ſi vis probare *propoſitionem negativam*, debes oſtendere alter utrum extremorum ſeu terminorũ propoſitionis uno tertio: & alterutrum non eſſe idem cum uno *eſſe idem* cum tertio. Hoc eſt, ſi oſtendis ſubjectum *eſſe idem* cum uno tertio, debes oſtendere prædicatum non eſſe idem cum eodem tertio. Et *hoc tertium* vocatur *medius terminus*.

Nota II. Inventionem medij termini paſſim vocari *Pontem Aſinorum*; dum enim negatur in aliqua propoſitione identitas ſubjecti cum prædicato, fit hôc ipsô quaſi quædam interruptio inter utrumque propoſitionis extremum, quemadmodum littus inter & littus. Quid faciunt ingenioſi? inveniunt ſubitò medium terminum quaſi quendam pontem, cum quo rurſus connectunt illa extrema, hoc eſt, *ſubjectum* & *prædicatum*. Quid autem rudes? *hæret* illis *aqua*, ùt dicitur; imò cum Ariſtotele ad Euripum dubio, ſeſe præcipitant ſinè medio termino in mare deſperationis.

Nota III. Si medium terminum ad probandam *propoſitionem affirmativam* invenire oporteat, inveniendum eſt aliquid commune & ſubjecto & prædicato, V. G. probanda mihi eſt hæc *affirmativa*: *Petrus eſt homo.* accipio τὸ *rationale*, quod eſt & Petro & homini commune, & dico: *Omne rationale eſt homo. Sed Petrus eſt rationale. Ergo Petrus eſt homo.* E contrà ad probandam *negativam* non accipitur aliquid utriq; Commune, ſed aliquid, quod uni convenit, alteri diſconvenit. Verùm

Nota

Nota IV. *Hoc opus, hic labor eſt*, & Labyrinthus, ex quo ſeſe extricandi, paſſim cenſent Recentiores modum optimum eſſe, *bonum ingenium, diligens ſtudium, & aſſiduum in diſputando exercitium.* Putârim nihilominus adhuc alios modos ſupereſſe, *ut articulo* I. dictum, & in ſequentibus patebit

PARS SECUNDA.

De Arte Combinatoria.

ARS COMBINATORIA, *non tantùm ad ſequentia perutilis, ſed & neceſſaria eſt; quamobrem &* Ariſtoteli, *& alijs veteribus* Sophis *adeò familiaris fuit. Igitur antequam ad ulteriora gradum faciamus, de haccè paucula. Diffusè ſcribunt eam* Clavius *Comment. in c.* I. *Sphæræ Ioannis de Sacroboſco.* Izquierdo *in ſua Pharo*, Kircherus L. 4. Artis Magnæ, Schottus in Magia Univerſali parte 3. Syntagm. 8. *& alij, ex quibus ad eamdem ſpectantia laborioſè traximus, ac in unum ſtudioſè contraximus.*

ARTICULUS I.

Ars Combinatoria definitur.

PRimò. ARS COMBINATORIA *eſt facultas quædam Arithmologica, quæ docet datis quibuslibet & quotcunque rebus, quoties aut quot modis illæ inter ſe combinari, ſive quoties res illæ inter ſe permutari poſſint.* Et hanc artem exercuit primùm Æterna DEI Sapientia, quæ *fecit omnia*

in numero, pondere & menſura. unde tanta inclinationum, vultuum, vocum, inceſſuum, vel in ſolis hominibus varietas, quantam ut non concipere, ità ſatis admirari nequimus.

Secundo. EXEMPLUM CURIOSUM. Erat inter 12. Nobiles exorta lis de adeunda hæreditate. Indicto die diuſculùm in diverſa ſciſſi tandem unanimite decreverunt, adeundam eſſe hæreditatem illi, qui cæteros convivio toties exciperet, quoties ordinem accumbendi menſæ inter ſeſe mutare poſſent, eâ tamen lege, ut ſi ſucceſſu temporis ad id præſtandum imparem ſe deprehenderet, hæreditato ex æquo reliquos inter dividendâ caderet. Cæteris audacior & combinationum imperitior conditionem acceptat paucorum ſpatio menſium obligationi ſe ſatisfacturum ratus. Verùm poſt annos non paucos ſpe fruſtratum ſe videns & expenſas perdidit & hæreditate excidit. Quid putas mi Lector! quot exigebantur anni, ut debito ſatisfieret? En! 4.79,001.600. *hoc eſt*: quadringenti ſeptuaginta novem milliones conviviorum, ac inſuper mille ſexcenta illi facienda erant annis pluribus quàm 1,311. 434. *hoc eſt*: millenis millibus trecentis & undecim millibus quadringentis & tringinta quatuor, ùt ex Regula artis combinatoriæ patebit infrà. Id quod artis imperitus non præviderat. Unum addo mi Lector! *Faciant aliena pericula cautum*, & Exemplo monitus artes contemnere noli, ſed potius addiſcere ſtude.

AR-

ARTICULUS II.
Ars Combinatoria dividitur.

PRimò. Alia eſt *Anagrammatica*, quæ docet, quot quælibet vox aut dictio diverſos ſenſus in ſe contineat?

Secundò. Alia eſt *Algebraica*, quæ docet, quoties quælibet quæſtio numeris transpoſitis, ſeu jam additis, ſeu ſubtractis, ſeu multiplicatis, ſeu diviſis exhiberi poſſit? Et hæc circa quantitatem tam continuam, quàm diſcretam occupatur.

Tertiò. Alia eſt *Elementaris*, quæ docet, quot Elementarium qualitatum permutationes poſſibiles ſint? &c.

Quartò. Alia eſt *Artiſtica & Scientifica*, quæ docet, quoties artis aut ſcientiæ cujuslibet principia, termini, propoſitiones & Syllogiſmi combinari poſſint? Id quod luculentum eſt in Artibus Lulliana, Izquierdiana, Kircheriana, & aliis.

ARTICULUS. III.
Ars inveniendi, quoties inter ſe res quotcunque poſſint permutari, ſeu locum mutare?

PRoponantur tibi combinandæ literæ, perſonæ, termini, res quæcunque: ſi vis ſcire, quotnam vicibus permutari posſint? ſit hæc

REGULA I. *Res propoſitas ſcribe ſerie naturali ſic:* 1. 2. 3. 4. *&c. quotcunque demum ſint, & eas ordine conſequenter per ſe invicem multiplica* V. G. ſemel 2. eſt 2. ergo duæ res poſſunt bis mutari.

Iterum. bis tria eſt 6. ergo 3. poſſunt ſexies combinari. *Iterum.* ſexies 4. eſt 24. ergo 4 poſſunt 24ter permutari. & ità porrò. *Brevius. duc proximè productum numerum in ſecunda columna in illum, qui ſequitur in prima columna Tabulæ*, de qua nunc.

REGULA II. Si tibi moleſtum accidit calculum inire, Tabulam inſpice, quam nos ipſi confecimus, ut ab improbo ineundi calculi labore te liberaremus. Et confecimus eam duplici methodô; ſemel viâ laborioſâ multiplicationis ordinariæ, deinde Neperianarum ope tabellarum, extendimúſque uſque ad 50. Similem quidem Tabulam paravit ante nos Kircherus in *arte magna*. Sed in eam, cujuſcunque tandem vitiô, errores irrepsêre complures, quos in ipſa Tabula noſtra annotamus. *Ibidem ergo numerum rerum permutabilium ordine naturali deorſum vides propoſitum. Ex parte verò correſpondet cuilibet numero rerum combinabilium numerus permutationum, qui docet, quoties res V. G. tres aut quatuor, aut quinque, aut etiam plures uſq; ad 50. inter ſeſe permutari poſſint?*

REGULÆ DATÆ *Exemplum in litteris.* Si namq; literis hanc artem applicare nôris, facilè poteris quibuſvis rebus alijs, quæ inter ſe tibi combinandæ ſunt, eamdem applicare. V. G. ſint hæ 4. literæ MARE inter ſe combinandæ. Scribe ordine 1.2.3. 4. & multiplica hos numeros conſequenter in ſe hôc modô. Semel 2. facit 2. bis tria facit 6. ſexies 4. facit 24 Ecce! provenit numerus 24. qui te docet res quatuor poſſe 24ter inter ſe permutari. *Vel* quære in appo-

poſita combinationum Tabula 4. & en! è regione numeri 4. invenies 24. Pone igitur ſic:

MARE.	AMRE.	RMAE.	ERAM.
MAER.	AMER.	RMEA.	ERMA.
MRAE.	ARME.	RAME.	EARM.
MREA.	AREM.	RAEM.	EAMR.
MEAR.	AEMR.	REMA.	EMRA.
MERA.	AERM.	REAM.	EMAR.

In hoc Exemplo etiam vides modum facillimè permutationes omnes collocandi. nam numerus 6. quem per 4. multiplicâſti, oſtendit, quòd quælibet litera debeat primum locum ſexies occupare. In reliquis autem primis ordinibus literarum ſingulæ bis ponendæ ſunt vel immediatè, vel alternè, vel tranſultim. Diſcurre cum proportione de ceteris V. G. ſi 5. res permutandæ ſint; quælibet res 24ter primum locum occupabit.

ARTICULUS. IV.

Ars inveniendi, quoties res propoſitæ poſſint permutari, ſi inter eas ſint aliquæ ſimiles.

P*Rimo.* Certum eſt, quòd res illæ, inter quas ſunt aliquæ ſimiles, non poſſint toties permutari, quoties res illæ, quæ ſunt omnino diverſæ. V. G. *mora* poteſt ſæpiùs permutari, quàm *mara*; quia ibi ſunt literæ omnes diverſæ, hîc autem ſunt duæ ſimiles AA. (loquor in caſu, quo omnes literæ eôdem colore ſcriptæ ſunt) Sit ergo

Secundo. Regula I. *Quando res in certo numero propoſitæ permutandæ ſumuntur ſingulæ & earum aliquæ ſunt ſimiles, accipe numerum permutationum totius numeri rerum propoſitarum, & illum divide per numerum permutationum rerum ſimilium in toto contentarum, & quoties dabit, quotiens poſſit totum permutari.* V. G. 5. literæ poſſunt 120es permutari. Si autem inter eas ſint V. G. *duæ* ſimiles, cùm *duæ* poſſint *bis* permutari, ideo divide 120. per 2, & *quotiens* erit 60. qui numerus docet, quoties poſſit totum permutari.

Tertiò. Exemplum. Nomen JESUS habet 5. literas, ſed duæ ſunt ſimiles, nimirum S. S. Si autem omnes eſſent diverſæ, tunc ly JESUS poſſet juxta *Articulum tertium* permutari 120es. Ergo cùm ſint *duæ*, hoc eſt, S. S. ſimiles, & *duæ* poſſint ſecundùm eundem articulum bis permutari, divide 120. per 2. & *quotiens* erit 60. hoc eſt, ly *JESUS* poterit permutari *ſexagies*. Vide *Tabulam*.

Regula II. Si res propoſitæ combinari debeant in binarios, ternarios &c. & ſint aliquæ ſimiles, ponunt aliqui hanc Regulam: *Abijce omnes ſimiles, præter unam, & ſerva Regulas*, quas trado *Articulo ſequenti*.

ARTICULUS V.

Ars inveniendi omnes poſſibiles combinationes ſecundùm rem diverſas in rebus quotcunque propoſitis.

IN *Articulis præcedentibus* docui te rerum quotcunque propoſitarum omnes, poſſibiles *permutati-*

tationes invenire. In hoc autem docebo te reperire omnes poſſibiles *combinationes*. Aliud enim eſt *permutatio*, aliud *combinatio*. Quocirca nota priùs ſequentia, quàm à me combinationum Regulam accipias.

Nota I. Permutatio rerum eſt, quando quotcunque tandem rerum numero dato ſumuntur omnes illæ res ſimul, & ità miſcentur, ac inter ſe variè diſponuntur, ut ſemper alium ordinem habeant, idque toties, quoties fieri poteſt. V. G. ſint tres res A, B, C. ſi hæ ità diſponantur, ut ſemper ordine alio ſe mutuo conſequantur, tunc demum inter ſe *permutari* dicuntur. ùt vidimus in præcedentibus.

Nota II. Combinatio rerum eſt, quando quotcunque tandem rerum numero dato ſumuntur illarum binæ vel ternæ, &c. & toties inter ſe componuntur V. G. in binarios, vel in ternarios, &c. quoties poſſunt.

Nota III. Combinationes rerum *duplices* eſſe. *Aliquæ* ſunt tantùm ſecundùm rem diverſæ V. G. ſi in quatuor rebus ſumantur omnes binarii, ità, ut nulli binarii ſint iidem. *Aliquæ* ſunt etiam ſecundùm ordinem rerum diverſæ. V. G. ſi in 4. rebus ſumantur omnes binarii, ità ut aliqui binarii ſint quidem ſecundùm rem iidem, ſed earum ordo diverſus V. G. iſti duo binarii: *calidum frigidum, frigidum calidum*, ſecundùm rem quidem ſunt iidem, ſecundùm ordinem verò diverſi.

REGULA GENERALIS, quâ invenias omnes poſſibiles combinationes ſecundùm rem diverſas, ità, ut quocunque demum numero rerum pro-

propoſitò dicere poſſis: in hôc rerum numero ſunt tot binarii poſſibiles tot, ternarii, tot quaternarii, &c. *Quot combinandæ res proponuntur, tot numeros, incipiendo ab unitate, pone conſequenter in duplâ proportione, hoc eſt, ita ut unus numerus ſemper alterum ſuperet duplô. Quô factô adde omnes hos numeros, ut fiat una ſumma, & ab hac ſumma ſubtrahe numerum rerum propoſitarum; factâ ſubtractione indicabit reſiduum, quotnam diſtinctis modis res propoſitæ inter ſe poſſint comparari.* Id quod paulò mox exemplo declarabitur.

Nota ultimò. Hanc Regulam à Clavio tradi in Sphær. c. 1. ex quo deſumpſit illam Kircherus in Arte Magna l. 4. c. 3. prop: 2. quamvis ibidem ad finem videam σφάλμα quodpiam irrepſiſſe; dat enim Exemplum in 5. Prædicabilibus, & ait ea 26ies combinari poſſe, quod quidem verum eſt. At porrò dum in Exemplo ponit duplam proportionem. 1. 2. 4. 8. 16. dicit: Si ultimum 16. duplicaveris, & 5. à producto numero 32. abſtraxeris, 27. remanebunt, numerus combinationum quæſitus. Id quod Regulæ non conſonat.

ARTICULUS VI.

Regula propoſita declaratur Exemplis.

EXemplum I. Sint propoſitæ res 4. A. B. C. D. v. g. 4. primæ qualitates. petitur à te, ut invenias harum rerum omnes poſſibiles combinationes ſecundùm rem diverſas. Pone igitur

4. nu-

4. numeros conſequenter in dupla proportione incipiendo ab unitate ſic: 1. 2. 4. 8. *Summa* horum eſt 15. Ab his 15. ſubtrahe 4. hoc eſt, numerum rerum propoſitarum, & ecce remanebunt tibi 11. qui numerus te docet, 4. res propoſitas undecies inter ſe combinari, & inter has omnes poſſibiles combinationes erunt: *unus quaternarius, 6. binarii, & 4. ternarii* inter ſe ſecundùm rem diverſi, ùt ſequitur in *expanſo*.

	In abſtracto.		*In Concreto.*
1	AB.	1	Calidum frigidum.
2	AC.	2	Calidum ſiccum.
3	AD.	3	Calidum humidum,
4	BC.	4	frigidum ſiccum.
5	BD.	5	frigidum humidum.
6	CD.	6	Siccum humidum.
7	ABC.	7	Calidum frigidum ſiccum.
8	ABD.	8	Calidum ſiccum humidum.
9	BCD.	9	frigidum ſiccum humidum.
10	ACD.	10	Calidum frigidum humidum.
11	ABCD	11	Calidum frigid: ſicc: humid:

Exemplum II. Si vis omnes poſſibiles *combinationes in 5. prædicabilibus?* pone 5. numeros ſub dupla proportione. 1. 2. 4. 8. 16. Summa horum eſt 31. Detrahe 5, & remanebunt 26. numerus combinationum quæſitus: quos ſi ponas in expanſo, videbis 10. *binarios*, 10. *ternarios*, 5. *quaternarios*, & *unum quinarium.*

Exemplum III. Si vis omnes poſſibiles *combinationes inter aſpectus ſeptem Planetarum?* pone 7. numeros in dupla proportione. 1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. Summa erit 127. detrahe 7. hoc eſt. *nu-*

me-

merum Planetarum, & remanebunt 120. *numerus combinationum* quæſitus.

ARTICULUS VII.

Ars inveniendi quotcunque rerum propoſitarum Combinationes, ſecundùm rem diverſas, in binariis tantum, vel ternariis tantum.

PRoponantur res quotcunque & petatur à te, ut dicas, quoties illæ poſſint inter ſe combinari, ſi ſumantur tantùm binæ, vel ſi ſumantur tantùm ternæ, &c. ut omnes illi binarii vel omnes ternarii ſint ſecundum rem diverſi?

Regula Clavii. *Multiplica numerum rerum propoſitarum per numerum immediatè minorem, & productum dimidia & habebis numerum binariorum omnium poſſibilium ſecundum rem diverſorum.* V. G. Proponantur 4. Elementa. *peto*: quoties poſſunt inter ſe combinari, ut omnes binarii ſint inter ſe diverſi ſecundùm rem? multiplica 4. hoc eſt, numerum elementorum per numerum immediatè minorem, hoc eſt, per 3. & productum erit 12. hoc productum dimidia & habebis 6. qui numerus indicat 4. elementa ſexies combinari poſſe, ſi *bina* tantùm ſumantur, ùt ſequitur: *terra aqua: terra aër: terra ignis: aqua aër: aqua ignis: aer ignis.* Verùm

Nota, Regulam hanc Clavianam eſſe tantùm pro binariis, non verò pro ternariis, aut quaternariis &c, nec Kircherus ullam pro his præſcri-

ſcribit, nec Izquierdo in ſua Pharo, niſi Tabulam quandam intricatam quadrotorum. Quare ſit

REGULA UNIVERSALIS HERIGONII IN CURSU MATHEM: quam etiam Tacquetius in ſuam Arithmeticam traxit, & ex hôc in ſuam Magiam Schottus. Sed cùm eadem admodum obſcurè proponatur, conabor eam clariùs dare.

Detur ergo numerus rerum quotcunque v. g. ſex Item detur numerus alius ſecundum quem res illæ ſunt combinandæ v. g. numerus 2. ſi combinari debent illæ res per binarios: vel numerus 3. ſi per ternarios, &c. *Primus numerus* vocetur *major* & *ſecundus* vocetur *minor*. Jam ſic: *pone numerum minorem ſub majore, & poſt utrumque pone conſequenter numeros unâ unitate ſemper deficientes, & quidem tot numeros, quot unitates ſunt* in *minore. Prima linea* vocetur *progreſſio major*, ſecunda *progreſſio minor*. Hoc facto *multiplica omnes numeros progreſſionis majoris in ſe, & ſimiliter omnes numeros minoris, & per productum ex multiplicatione minoris, divide productum ex multiplicatione majoris. Et ecce quotiens erit numerus illarum combinationum* v. g. binariorum, vel ternariorum &c. quas quæris.

Exemplum. Sint 5. res. Vis ſcire ternarios omnes poſſibiles in hiſce? numerus *major* erit 5. & *minor* erit 3. Scribe ergo *majorem* cum dicta progreſſione ſic: 5-4-3. & *minorem* ſic: 3-2-1. Cùm enim *minor* habeat tres unitates, tunc de-

debet utraque progreſſio conſtare tribus numeris. Hoc facto multiplica numeros *majoris progreſſionis* in ſe mutuò & dic: quinquies 4. facit 20. & 20es tria, facit 60. *Item* multiplica in ſe numeros *minoris progreſſionis*, & dic: ter duo facit 6. Sexies unum facit 60. Habes igitur *majoris* productum 60. & *minoris* productum 6. ergo per 6. divide 60. & *quotiens* erit 10. En ergo 5. res decies poſſunt mutari, ità ut *ternarii* decem ſint ſecundùm rem diverſi.

Similiter quære binarios, quaternarios, quinarios, &c.

ARTICULUS VIII.

Ars inveniendi omnes poſſibiles combinationes rerum tam ſecundùm rem, quàm ſecundùm ordinem diverſas.

HAnc Artem à Schotto mutuor ex Magia Arithmetica, ut ſequitur.

REGULA. *Numerum rerum propoſitarum multiplica per numerum unitate minorem; & habebis numerum combinationum, cùm res binæ accipiuntur. Hunc combinationum numerum rurſus multiplica per numerum unitate minorem, quàm fuerit proximè præcedens multiplicans, & habebis numerum combinationum, cùm res ternæ accipiuntur. Hunc etiam combinationum numerum multiplica iterum per numerum unitate minorem multiplicante eô, qui proximè præceſſerit; & habebis numerum combinationum, cùm res quaternæ ſumuntur. Eodem modo procede in reliquis, donec multiplicans ad unitatem deſcenderit, quæ quoniam non mul-*

multiplicat, ultimus numerus productus eſt iterandus. Tandem ſingularum combinationum ſummas collige in unam ſummam, & habebis quæſitum omnium combinationum numerum.

Exemplum. Sint 8. propoſitæ res, & velis ſcire, quot combinationes admittant, ſi accipiantur primò binæ, deinde ternæ, ac demum quaternæ, ſeu quot contineant binarios, ternarios, & quaternarios. *Multiplica* per 7. & productum 56. erit numerus omnium binariorum. *Multiplica* rurſus 56. per 6. & productum 336. erit numerus omnium ternariorum. Iterum *multiplica* 336. per 5. & productum, 1680 erit numerus qvaternariorum. Ulteriùs *multiplica* 1680. per 4. & productum 6720. erit numerus omnium quinariorum. *Multiplica* jam 6720. per 3. & productum 20160. erit numerus omnium Senariorum. Hunc numerum denuo *multiplica* per 2. & productum 40320. erit numerus omnium Septenariorum. Tandem hoc ultimum productum *multiplica* per 1. id eſt, iterum ſume, & habebis numerum omnium octonariorum. Erunt itaque

Binarij - -	56.
Ternarij -	336.
Quaternarij -	1680.
Quinarij - -	6720.
Senarij - -	20160.
Septenarij -	40320.
Octonarij -	40320.
Summa	109592.

Sint iterum propoſitæ quatuor res v. G. 4. primæ qualitates, caliditas, frigiditas, ſiccitas, humiditas, velíſque ſcire quoties poſſint conjungi in binarios, ternarios & quaternarios. Multiplica 4. per tria, & habebis 12. binarios: hos multiplica per 2. & habebis 24. ternarios: Hos iterum multiplica per 1. & habebis 24. quaternarios.

Ratio. Si enim ſint v. G. 4. res (*ſimiliter diſcurre de* 5. 6. *&c. rebus*) quælibet ex his poteſt conjungi cum qualibet aliarum trium, & ſic reſultant duodecim combinationes in ratione binarii; item quilibet binarius poteſt conjungi cum qualibet reliquarum rerum, & ſic reſultant 24. ternarij: item quilibet ternarius conjungi poteſt cum reſidua re, & ſic reſultant etiam 24. quaternarii.

Nota ultimò. Quomodo debeas conciliare Regulas, quas apud diverſos Authores reperies. Secundum aliquos dimidius combinationum numerus proveniet v. G. numerus combinationum aliquarum rerum ſecundùm aliquos erit 6. ſecundùm aliquos 12. Horum Authorum Regulas ità concilia, quòd illi tantùm loquantur de combinationibus diverſis *ſecundum rem*, hi inſuper *ſecundum ordinem*.

ARTICULUS IX.

Ars omnes poſſibiles combinationes Combinationum inveniendi, & ſecundùm rem & ſecundum ordinem diverſas,

Mi

MI Lector! hactenus te docui *combinare res.* Nunc *ipſas combinationes combinare* diſce. *Volo dicere.* Sicut hactenus quærebatur v. G. quoties 4. res ita combinari posſint, ut prodeant omnes poſſibiles binarii, aut ternarii diverſi; ità nunc quæritur: ſi dentur omnes poſſibiles binarii, v. G. quatuor rerum propoſitarum, & iterum omnes poſſibiles binarii aliarum trium rerum propoſitarum, quæritur inquam, ſi hi ipſi binarii ex utraque parte ſumantur, & inter ſe combinari debeant, quotiésnam combinari poſſint? Sic ergo

Regula. Numeri combinationum diverſarum rerum ducantur in ſe, producti duplum eſt numerus combinationum quæſitus. V. G. in 4. rebus dantur binarii 12. ſecundùm rem & ordinem diverſi. *Item* in 3. rebus dantur binarii 6. diverſi. Ergo 12. per 6. multiplica & provenient 72. cujus numeri duplum eſt 144. qui numerus indicat combinationes combinationum inter dictos binarios.

Exemplum. Sint 4. diverſorum generum Vina: *Bohemicum, Auſtriacum, Italicum, Hiſpanicum.* Sin iterum tres diverſorum generum aquæ: *naturalis, citrina, cinnamomina.* Sint & vina & aquæ, ſigula ſingulis vitris incluſa. *Quæro:* quoties binarii vinorum cum binariis aquarum conjungi poſſunt, ità, ut ſemper duo vitra vinorum ſequantur rem, partim ſecundùm vitra duo aquarum; aut vice versâ? *Reſpondeo:* binarii 4. diverſorum vinorum partim ſecundùm ordinem diverſi ſunt 12. binarii verò trium aquarum ſunt 6. Igitur duco 6.

in 12. & en! productum eſt 72. quod in duplo eſt 144. Poſſunt ergo binarij vinorum cum binariis aquarum conjungi centies & quadrageſies quater. Similiter procede cum ternariis &c. probarem in literis, loco vinorum & aquarum, poſitis.

Ratio. Qvilibet binarius vinorum poteſt conjungi cum omnibus binariis aquarum ſemel, ita, ut binarii vinorum præcedant, & binarii aquarum ſequantur; & iterum ità, ut binarii aquarum præcedant, & binarii vinorum ſequantur. Cùm ergo ſint 12. binarii vinorum & 6. binarii aquarum, ſi 12. multiplicentur per 6. reſultant combinationes 72. inquibus vina præcedunt, & 72. in quibus aquæ præcedunt. 72. autem & 72. faciunt 144 ergo.

ARTICULUS X.

Fructus ingens Artis Combinatoriæ in omnibus Scientiis humanis.

ARTIS hujus fructum exponit ubertim Izquierdo noſter in Pharo D. 29. Q. 5. & eum revocat ad 4. Capita. *Primum* eſt *inventio Quæſtionum.* *Secundum* eſt *inventio propoſitionum per ſe notarum*; quæ duo ex combinationibus terminorum Scientiæ præcipuè proveniunt. *Tertium* eſt *inventio illationum.* *Quartum* eſt *inventio propoſitionum notarum per aliud*; quæ præcipuè proveniunt ex combinationibus propoſitionum & quæſtionum. Et hæc ibidem omnia diffusè probat, præſcribitq; modos in praxim deducendi Latet autem in illis modis ejuſmodi Corinthus, quam non datum eſt cuivis adire, niſi ſit inſigni planè Meta-

taphyſicâ,abſtractarumque cognitionū πανοπλία inſtructus.

Infert I. Inventionis artificioſæ in Scientiis humanis unicum inſtrumentum eſſe combinationem. Qvod patet ex dictis.

Infert II. Veram & unicam artem inveniendi medium ad quamlibet propoſitionem in qualibet ſcientia humana probandam, ipſiſſimam eſſe artem combinandi. Quia in omnibus Scientiis combinantur primùm termini in propoſitiones, & hæ inventæ aſſumuntur & ſingulæ combinantur cum ſingulis, & tentatur, quænam cum quibus connexæ ſint, ut hæ per illas, vitalis connexionis, ſciantur.

Infert III. Quiſquis impenſius combinatione fuerit uſus, eum in omni Scientia faciliùs progreſſurum. Nam Artis legitimæ Sciendi potiſſimum Inſtrumentum eſt combinatio. Experientia docebit te ſive in *Theologia*, ſive in *Juriſprudentia*, ſive in *Medica*, ſive in *Philoſophia*, ſive in *Politica*, ſive in munere *concionandi*, ſive in *oratione mentali* miros progreſſus facere deſideras, ſi combinationis Regulas adhibeas, quotidie novas propoſitiones, & rationes circa quamvis materiam, utut tritam, cum admiratione reperies.

ARTICULUS Ultimus.

Fructus alij, cum Παραδόξοις *ex Arte combinandi promanantibus.*

PRimò. Hâc Arte invenit *Ariſtoteles* innumeros illos locos dialecticos in *libris Topicorum* ad diſſerendum de omni materia. De quibus agimus *Parte VII.* quamvis nec *Ariſtoteles*, nec ejus Aſſeclæ mirabilem combinationis vim & energiam vide-

antur agnoviſſe. Quandoquidem nec mentionem quidem expreſſam de hoc potisſimo Scientiarum Inſtrumento fecerunt

II. Hâc Arte invenit *Ariſtoteles* omnes poſſibiles combinationes *modorum Syllogiſticorum*, ex quibus utiles ſelegit 19. *Barbara Celarent* &c. ut apud eum 1° *primorum* eſt videre.

III. Hâc arte invenit *Ariſtoteles* omnes poſſibiles combinationes *figurarum* in Syllogiſmo, hoc eſt, duorum extremorum cum medio. Ex quibus ſelegit 3. figuras, ùt habes *ibidem*.

IV. Hâc arte invenit *Ariſtoteles* omnes poſſibiles combinationes primarum qualitatum, & ex his 4. Elementa, ùt habes 2° *de Generatione*.

V. Hâc arte omnia poſſibilia vocabuli cujusvis anagrammata reperiuntur, ùt ex Regulis ſuprà patet.

VI. Hâc arte oſtendit *Guldinus l.* 4. *de centro gravit. c.* 5. tot eſſe permutationes & combinationes ſolarum 23. literarum Alphabeti, ut tot inde exurgerent codices, (quorum ſingulos ponis craſſos quadrante pedis Viennenſis, latos tribus quadrantibus, & longos ſeſqvuipede) quos Orbis terra-queus totus non caperet. *Inſuper* demonſtrat, ſi libri in terra ſtarent erecti, nec ſeptemdecim globos terra-queos iis capiendis ſuffecturos. Id quod & tu demonſtrare potes, ſi Regulis, quas dedi ſuprà, utaris.

VII. Hâc arte patet Idiomata inter ſe ex æquo diverſa, quæ è 17. *Conſonantium*, 5. *Vocalium*, & *totidem diphtongorum* combinatione orta ſunt & oriri

oriri poſſunt, ſuperare numero omnes urbes, & oppida, pagos & arces totius mundi, quamvis terræ dimidium eſſet urbibus in ſeſſum, & quamvis literæ in omnibus Vocabulis eſſent numero pares, & quamvis eadem litera ſemel in omnibus tantùm poneretur, & quamvis conſonantes cum vocalibus & diphtongis ità miſcerentur, ut dictiones omnes commodè, ac ſinè aſperitate pronunciari poſſent.

VIII. Hâc arte invenit *Kircherus* miram illam *Muſarithmicam* per combinationes notarum Muſicarum, ut quilibet etiam Muſicæ imperitus ad perfectam componendi notitiam brevi tempore pertingere poſſit. Quod perſæpe jam probatum eſt.

IX. Hâc Arte *Idem* invenit *Polygraphiam Univerſalem*, quâ quis uno tantùm idiomate inſtructus cum omnibus totius mundi nationibus per literas correſpondere poſſit.

X. Hac arte *Idem* invenit *Arcam Mathematicam*, qvâ quivis etiam imperitus, imò & püer, brevi tempore ad quævis reconditiſſima ex centenis Scientiis Mathematicis reſpondere poſſit, & quæſtiones proponere.

XI. Hàc Arte *Idem* invenit *artificium mirificum linguarum* palmari arcula incluſum, in quo omnes totius mundi linguæ ad unam reducuntur.

XII. Hâc Arte ad artem Lullianam applicatâ *Idem* invenit *Artifiſium Rethoricum*, quo quiſque de quocunque argumento Orationem ex temppre diſponere posſit. Item *Poëticum*, quo quiſque etiam proſodiæ imperitus carmina de quacunque re propoſita producere queat.

XIII. Hâc arte *Idem* invenit *Arcanum Phyſiognomicum*, *Arcanum medicum*, *Chymicum*, & alia quàm plurima.

XIV. Hâc ipsâ Arte ad Artem Lullianam applicatâ, *Idem* confecit *ciſtam* in varia receptacula diſtinctam, in qua *omnium Scientiarum* rationes ità exhibentur tabulis deſcriptæ, ut de quo quiſpiam argumento diſſerere fuerit interrogatus, per variam tabellarum translocationem, applicationesq; multiplici combinationum ſerie factas, innumera mox argumenta, ad quæſtionem propoſitam quàm fuſiſſimè per Syllogiſmos univerſales & demonſtrativos deducendam reperiat. Eo ordine autem ſingula argumenta ſunt collocata, ut majori vel minori propoſitione negatâ, ſtatim alia complura ad utramvis propoſitionem negatam comprobandam parata habeas, atque hoc in omni Scientiarum genere.

Sed de his hoc in loco ſatis. Adhuc aliqua dabimus inferius ad calcem Artis Lulliano-Kircherianæ.

Ad finem duo te ſcire velim. 1° Non niſi aliqua inventorum ejuſmodi Παϱαδόξων typis eſſe mandata. Cetera Cæſaribus, Regibus, ac Principibus quibuſdam communicata manent arcana, nè per evulgationem lippis & tonſoribus nota, deſpectui habeantur.

2°, Si quis ſimila, aut etiam mirabiliora in quibuſcunqve Scientijs & artibus præſtare velit, harũ non debet ignarus eſſe, ſed præ omnibus illarum objecta, ſubjecta, definitiones, diviſiones, principia &c. addiſcere : dein *Artem combinatoriam* appli-

aplicare, ſubjecta cum prædicatis, propoſitione cum propoſitionibus comparare, combinationes inutiles ab utilibus reſecare; & experientia monſtrabit verum eſſe, quod prædicimus.

PARS TERTIA.

De Arte Analogica.

POſt Artem Combinatoriam, *quæ eſt ala prima, ſequitur* Ars Analogica, *quæ ala eſt altera. Quibus alis inſtructus evolat facilè in altum artium omnium ac Scientiarum. Et hæc Ars ipſa* ſimilitudinis illud ὄργανον *eſt, cui* Cornelius Gemma *tantum defert in* Coſmocritica, *ut ad id propemodum videatur reducere totam methodum Sciendi. Adducamus ſuper hac igitur aliqua.*

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex ſit Ars Analogica.

I. ARS ANALOGICA eſt, *quâ res omnes, quas ſcire deſideras, prius in ſpeculo & Ænigmate repræſentantur, quàm facie ad faciem pervideantur.* Verbo: eſt Ars, quâ deprehenduntur in maximis minima, in ſupremis & infimis media, in infimis & mediis ſuprema, in omnibus omnia. Non enim quidquam eſt in univerſa rerum natura, quod nón omnibus & ſingu-

 lis

lis ſub certa ἀναλογία ſeu proportione reſpondeat ut ità verum ſit Axioma Pythagoricum & Platonicorum; *quidlibet reperitur in quolibet.*

II. *Clarius.* Per *Artem Analogicam* intelligimus *illam Intellectûs operationem quâ, quod ſubjecto convenit uni, per analogiam tribuitur alteri.* Nam ſubjecta, quæ ſunt inter ſe ſimilia, pariter habent annexa ſibi ſimilia prædicata. Et ità prædicatum unius *per analogiam* prædicatum fit alterius, non quòd unius prædicatum ſit idem Logicè cum altero, ſed quòd illa prædicata ſint ſimilia, nuncupenturq; ſæpius eodem vocabulo. v. G. ſi ea, quæ prædicantur *de flore*, prædicem *de homine*, & viciſſim, quæ prædicantur *de homine*, prædicem *de flore.*

III. Hæc *Ars Analogica* apud Izquierdo vocatur *Translatio*, quòd unius ſubjecti prædicatum *per analogiam* ad aliud transferri dicatur. Diſtinguuntur autem *hujus Artis translationes à tranſlationibus Rhetorum*, quòd hæ ſint propriæ vocabulorum, non itidem ſignificatorum per illa conceptuum objectivorum.

IV. Ut intelligas rectè, *quid ſit Ars Analogica*, nota *ſimilitudinem* Objectorum duplicem eſſe. *Aliam puram*, hoc eſt, ab omni diſſimilitudine depuratam, & per hanc ordinantur Logicè extrema ſimilia ſub uno conceptu v. G Petrus & Paulus in ratione hominis. *Aliam temperatam*, ſeu *mixtam* cum aliqua diſſimilitudine. Et hæc dicitur *Analogia. Analogia* namque ſumpta propriè eſt *ſimilitudo proportionum* ſive earum, quæ inter extrema diverſa ſunt, habitudinum.

V. *No-*

V. *Nota bene.* Sicut extrema *purè ſimilia*; quæ Logicè ſunt una eſſentia, non poſſunt non habere pariter paſſiones *purè* ſimiles. Sic etiam extrema *ſimilia mixtè* non poſſunt non habere *ſimiles mixtè* paſſiones. v. G. cùm corpus humanum languens extremè, & Reſpublica languens extremè ſint *ſimilia mixtè*, ſequitur manifeſtè, quòd, ſicut corpus humanum extremè languens remedia requirit extrema, ità pariter Reſpublica languens extremè, extrema poſtulet remedia. *Ratio manifeſta*: quia rerum eſſentiæ ſunt paſſionum radices. Ergo quo gradu ſunt inter ſe ſimiles, eo fundant in gradu ſimiles paſſiones. Et hinc plurimæ illæ demonſtrationes noſtræ à paritate.

VI. *Ars Analogica* duplex eſt: *Illativa* & *explicativa*. *Illativa* per modum argumentationis eſt, quando ex eo, quòd tali ſubjecto tale prædicatum conveniat, inferimus, alteri ſubjecta analogicè ſimili prædicatum ſimile convenire. *Explicativa* per modum explicationis eſt, quando ad notificandum explicatiùs, vel etiam perſuadendum, quomodo conveniat alicui ſubjecto prædicatum aliquod, alterius ſubjecti prædicatique convenientiam notiorem illiq; ſimilem analogicè proferimus in medium, & ad inſtar cujuſdam exempli ſe ipſo notificativi ac explicativi in virtute illius analogiæ, quam habet cum illa ſubjecti Prædicatique convenientia, proponimus.

AR-

ARTICULUS II.

Artis Analogicæ Regula cum Exemplis.

REgula. Dico Verbô, *hanc Artem arti combinatoriæ junctam ſic applica*: Dum combinationem exerces circa res Univerſi quaſcunque, aut circa quæcunque Scientiarum objecta, Principia, terminoſque, diligenter *Analogiam* adverte ac proportionem in omnibus illis extremis, quæ combinas. Cùm autem *analogia* reapſe ſit ab extremis indiſtincta, inſpectis illis paululùm accuratiùs ſubitò ſe prodet ipſa, & innoteſcet.

Exemplum I. Cùm omnes res Univerſi, quemadmodum præfati ſumus, imò cuncta Scientiarum objecta miram inter ſeſe *analogiam* habeant, ùt conſideranti patebit, Exempla ſinè numero, vel ex quibusvis rebus obviis ac particularibus formare tibi poteris, ut exerceâre. Nos *Exemplum Univerſale* ponimus Ium à tribus Mundis, nexu continuo velut aureâ catenâ copulatis. Si vis noſſe *mundum majorem?* inſpice *minorem.* Si vis *minorem? perſpice majorem.* Si vis mundum *medium* ſeu *Politicum?* alterum aut utrumq; perpende, & in ſingulis ſingula ſingulis *per analogiam* ritè applica, & in omnibus omnia, ſingulâque proportionaliter in ſingulis reperies. Verbô, ſume res quaſcunque, & quotcunque, & generis cujuſcunque, & eaſdem inter ſeſe compara, miraque invenies.

Exemplum II. explicatius. Vis *Mundum majorem in minore?* Invenies in *homine* partes Cœleſtes,

ſtes, æthereas & Elementares, ſuos ventos & imbres, circulos & zonas &c. Vis Planetas? *ſolem* totius vitæ, motioniſque fontem? *cor* habes. *Lunam* fæcunditatis humidæ matrem? *cerebrum* habes. *Jovem* blando calore foventem omnia? *hepar* habes. *Saturnum* totius Melancholiæ ſedem? *ſplenem* habes. *Martem*? fellis ciſtam habes. *Venerem* motus omnis in geniali natura promotricem? Organa σπερμάτων habes. *Mercurium* omnia ſpiritu connectentem? *pulmonem* habes. Vis *Elementa*? habes *ignem* in bile, *aërem* in Sanguine, *aquam* in pituita, *terram* in Melancholia. Vis *Meteora*? *pluvias* & *nives* habes in catarrhis, *grandinem* in calculis & arenis, *ventos* in Cholica, in inflammationibus ac febribus *fulgetra*, *rores* & *pruinas* in ſudoribus & lacrymis, &c. Vis *plantas*? capitella *papaveris* ac *ſquillæ* habes in capite; nam *papaver* & *ſquillæ* ſunt ſimilia capiti, capitique medentur. Eadem de cauſa *muſcum* & *amiantum* habes in capillis, *aſarum* in auribus, *euphraſiam* in oculis, *mentaſtrum* in naſo, *dentariam* in dentibus, *uvulariam* in gutture, *hepaticam* in jecore, *cardiacam* in corde. Deniq; vis cetera! habes in venis *flumina*, *frondes* in capillis & *gramina*, *Zenith* in capite, *Nadir* in pedibus, *orientem* in vigilia, *occaſum* in ſomno, in fronte *galaxiam*, in vultu *auroram*, *&c.*

Exemplum III. Si vis *ex Mundo minore Majorem diſcere?* omnia, quæcunque reperis in minore, ea ſingula ſingulis applica in majore. Et ita deprehendes *capillos* in arboribus, in ſaxis *oſſa*, *ſanguinem* in fluminibus, *oculos* in ſtellis, &c.

AR-

ARTICULUS III.

Plura Exempla.

EXemplum IV. Si vis vel *ex uno homine totum Mundum Politicum intelligere?* quære intellectum & caput in *Conſiliariis* & *Gubernatore*, memoriam in *Juribus* ac *ſcriptis*, Voluntatem in *Executoribus Juſtitiæ* & *Adminiſtris*, vitales in *Ærario* Spiritus & ſanguinem &c. unde dices mundo Politico ſecari venas à Marte, qui totum perfrequenter ærarium exhaurit.

Exemplum V. Si vis *Mundum Politicum ex Magno Mundo noſcere* (Solem invenies in *Principe* ceteros in *Conſiliariis* Planetas; invenies ſtellas errantes & fixas, etiam animalia bruta, homines cum jumentis & adjumentis.

Exemplum VI. Vis *in humano corpore Oeconomiam?* habes in Intellectu *Patremfamilias*, *Matremfamilias* in voluntate, Theſaurarium in memoria, in phantaſmatibus *picturas* & *tapetia*, *culinam* & *focum* in jecinore ac ventriculo, *ignem* & *flammam* in Spiritibus vitalibus, *cloacam* in ſplene ac renibus, &c. In cruribus *Currus*, in ceteris membris *familiam*, *&c.*

Exemplum VII. Accipe vel unicam plantulam, & invenies in ea totum mundum *majorem* & *minorem* & *politicum* cum proportione. Invenies ibi caput & cor, &c. cœlum & Elementa, &c. Principem & ſubditos, &c.

Exemplum VIII. In re morali. Compara virtutem aut vitium cum quocunque Mundo, aut cum quacunque re mundi. Invenies mun-

du-

dum Politicum in virtute & vitio, ſuam Monarchiam, conſilia, Polemicam, arma, &c. Compara virtutes & vitia etiam cum magno Mundo. v. G. *hypocryſin.* Sanè reperies in ea omnia *quatuor Elementa:* eſt enim non tantùm duplex, ſed pluſquàm quadruplex, & multùm compoſita; invenies ſuos cœlos, tam cœleſtia ſimulat, &c. Compara virtutes & vitia cum parvo Mundo, invenies caput, collum, & cor, & pedes, &c.

Exemplum IX. Morale. Oſtendendum eſt, *virtutem bonam eſſe.* Sic argumentare *analogicè* ad DEUM: omne, quod unit DEO, facit ſimiles DEO. Sed virtus unit DEO. Ergo facit ſimiles DEO. Ergo bona eſt. *Analogicè ad animalia*; omne, quod facit homines fortes ùt leones, ſimplices ut columbas, prudentes ſicut ſerpentes, providos ùt formicas, appetendum eſt. Atqui virtus: Ergo. Ergo bona eſt. *Analogicè ad Plantas.* quod animam tanquam olivam facit fructiferam in domo DEI, laudabile eſt. Sed. Ergo, &c, &c.

Exemplum X. Confer artificialia cum naturalibus v. G. teſtudinem cum corpore animalis. Quid *collum teſtudinis?* collum animalis. Quid *verticelli teſtudinis?* dentes animalis. Quid *chordæ teſtudinis?* inteſtina animalis. Quid *venter teſtudinis?* venter animalis, &c.

Exemplum XI. Confer naturalia cum artifici-

ali-

alibus. v. g. *hominem cum organo*, & dic: quid eſt *homo*? animatum *organum*. pulmones dati ſunt illi pro follibus, quos comprimit pectus, ut reddant aërem, quem acceperunt. Arteria eſt ductûs inſtar, quo defertur Spiritus; pro fiſtulis, quæ cantum in organo faciunt, dentes ſtatuit in ôre natura, qui præſertim advocem formandam conducunt. Ratio eſt Organœda, & utitur pro manu linguâ, ſpiritumque profuſum è gutture & ad dentes, velut ad fiſtulas æneas appulſum moderatur, & modulatur. Unde mirificus Orationis concentus editur, tot flexionibus varius, tot ſonis diſtinctus, tot vocibus, quaſi articulis, interciſus.

ARTICULUS IV.

Quantum Ars Analogica ſerviat ſcientiis & artibus humanis, & addiſcendis, & inveniendis.

PRimo: Quod eſt oculis viſibilium pulchritudo, &, quod auribus audibilium harmonia, hoc eſt intellectui rerum intelligibilium *analogia.* Et hanc ob cauſam in omni ſermone, vel ſoluto vel ligato, nil nobis arridet magis, quàm id, quod analogiam præ ſe fert. Et an aliquid unquam acutius dicimus, quod in analogia non fundetur? ob quam rem ità placent, imò ſic perſuadent *apologi*, *parabolæ*, *ænigmata*, *fabulæ*. Unde oſtendemus in *ultimâ parte* fontem omnium argutiarum *Artem analogicam* eſſe.

Secundo. Cauſa eſt 10: quia noſter Intellectus omne, quod inſenſatum eſt, per phantaſma ſenſibi-

ſibile tanquam per ſubſtitutum illi & analogicè ſimile, atque adeò velut per quandam parabolam, communiter intelligit, ideo nihil illi connaturalius, quàm parabolicè ſive ænigmaticè, hoc eſt, analogicè intelligere. *Cauſa* eſt 2°, quia *Analogia* medium eſt aptiſſimum ad veritatem rerum præſertim abditarum & à ſenſibus remotiorum intelligendam, quam analogiam res aliæ nobis notiores cum rebus abditis habent. Et hoc eſt, quòd DEUS ipſe per parabolas & ænigmata cùm in veteri, tùm novâ lege locutus ſit.

Tertiò: Experientia. Scimus *primò* inventam fuiſſe *Opticam*, & ad hujus ſimilitudinem deinde multis pòſt annis *Acuſticam*, hoc eſt, *Scientiam Auditoriam.* Omnia namque Principia, definitiones ac propoſitiones *opticæ* cum proportione, præclaroque ſucceſſu fuerunt applicatæ ad *auditum*: radii viſorii radiis ſonoris, &c. Unde pridem optavimus, ut aliquis rerum harum peritus hæc ipſa *Optica* & *Acuſtica* Principia ad *odoratum* applicet, inveniatque Scientiam novam *Oſmoſophicam.* Non dubitamus, quin per inſtitutam cum objecto viſus & auditus *analogiam* in odoribus mira inveniret. Nos ipſi tentavimus aliqua cum bono ſucceſſu, quamvis in prædictis artibus, cum quibus eſt inſtituenda comparatio, tantùm Tirones.

ARTICULUS V.

Quomodo Principia unius Scientiæ ad aliam applicentur?

E*Xemplum I omnibus manifeſtum.* Perlege Medicos & ſtupebis, quàm omnia Medicæ

Principia Politicæ conveniant. Subnecto quosdam Aphoriſmos ex Hippocrate & aliis. Amabò! dijudica, num rectiùs conveniat Mundo Parvo? num mundo Politico? &, ſi neſcires eſſe *Principia Medica*, certus ſum, quòd *Politica* nuncupares.

1. *Extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt.*
2. *Quæ judicantur & judicata ſunt integrè, neque movere, neque vere aliquid, ſive medicamentis, ſive aliter irritando, ſinere.*
3. *Paulatim, ſenſimque tranſeundum ab extremo ad extremum.*
4. *Quæ relinquuntur ex morbis, tollenda, nè recidivam pariant.*
5. *Contraria contrarijs curantur; Et: Similia Similibus conſervantur.*
6. *Parva incendia magnas vires neglecta ſæpe aſſumunt, & idcirco malorum Principiis occurrendum.*
7. *Turpe reſcindendum, nè pars ſincera trahatur.*
8. *Omnis mutatio ſubita ad contraria eſt periculoſa.*
9. *Non pura corpora quantò plùs nutries, tantò magis lædes.*

Denique perlege alia centena, videbíſque ad *analogiæ* normam omnia Mundo Politico applicari poſſe.

Exemplum II. Philoſophicum. Compara cum *Methaphyſicis Phyſica*, & cum his illa, ac porrò, ſi placet, utraque cum *Logicis*, & miram invenies *analogiam*, quæ tibi arcana multa referabit. v.g.

Com-

omparamateriam cum eſſentia, formam cum ex-
ſtentia, *vel* materiam cum natura ſecundùm ſe,
rmam cum differentia, &c. *vel* partes eſſentia-
s Phyſicas cum partibus eſſentialibus Methaphyſi
s, *vel* hæc cum illis, & adhibitâ combinatione
gumenta ſinè numero reperies à paritate rationis.

Exemplum III. Geometricum

Axioma Geometricum: *Quæ eidem tertio ſunt æqualia, inter ſe ſunt æqualia.*

Analogicum. Quæ eidem tertio ſunt ſimilia, ıt inter ſe ſimilia.

Geometricum. *Si æqualibus æqualia adjecta ſint, ſunt æqualia.*

Analogicum. Si ſimilibus ſimilia adjecta ſint, a ſunt ſimilia.

Geometricum. *Idem ſibi ipſi inæquale, impoſſibile eſt.*

Analogicum. *Idem ſibi ipſi diſſimile, impoſſibile* Et ſic porrò.

ARTICULUS VI.

Plura Exempla.

xemplum IV. Sume proprietates puncti. 1. unctum eſt *in quantitate primum* 2. *Simplex.* *ndiviſibile.* 4. *expers*, hoc eſt ſinè partibus, *mpartibile.* 6. *non longum, non latum, non profum.* 7. *non menſurabile*, &c Sume dein rietates DEI. *Quid eſt DEUS analogicè?* irculus, cujus centrum ſive punctum me-a ubique; circumferentia nuſquam. *Jam* i DEUS eſt centrum: Ergo primum. Er-mpelx. Ergo incompoſitus. Ergo non ha-partes. Ergo impartibilis, Ergo indi-

 viſi-

viſibilis. Ergo non longus, non latus, non profundus. Ergo non corporeus, non menſurabilis, &c. &c.

Exemplum V. Conſidera unicum Solem, *V*illud *admirabile*, ùt ſacra Biblia loquuntur, & omnia Sapientiæ divinæ, humanæque ſem... na ibidem contineri miraberis. Unde tot... audimus in omni rerum genere differi *per analogiam ad Solem.* Et *Kircherus*, in *arte Lucis & umbræ*, ad calcem oſtendit nullam in Phyſica, aut Theologia, tam obſcuram eſſe Quæſtionem, quæ non lucis hujus umbratilis ſimilitudine illuceſcat. Sumit Exordium à Deo tanquam ab Archetypo Sole, perque ſingulas rerum creatarum claſſes progreditur, & diſcurrit

1 *De Luce triuna.*

2 *De deſcenſu Luminis æterni in creaturas.*

3 *Quomodo creaturæ lumen cognoſcant in lumin...*

4 *Quomodo ſit omnis cognitio procedens Lux à Luce primigenia Divina?*

5 *Quomodo prima lucis ſpeculum ſit Angelus ſecundus homo?*

De *luce intellectuali*, *rationali*, *phantaſtica* &...

Exemplum VI. Aſſume Muſicam cùm proportionibus harmonicis, & invenies eam in *Mundo archetypo*; tam mirus eſt DEI cum Univerſa natura concentus. Invenies eam in *Mundo Elementari*; tam amabiles ſunt ſymphoniſmi Elementorum. Invenies eam in *Mundo cœleſti*; tam orbium conſona proportio eſt. Invenies

venies eam in *Mundo Politico* & *Monarchico* & *Ariſtarchico* & *Democratico*, & *Oeconomico*. Monarcha & Paterſamilias Magiſter Capellæ eſt, &c. &c. Vide Kircherianam *Artem Conſoni & Diſſoni* ad finem, ubi analogicè demonſtratur *Decachordon naturæ*, ubi per 10. gradus vel uti per 10. naturæ Regiſtra oſtenditur Harmonia decemplex: *Elementaris Cœleſtis*, *Phyſico - Medico-Chymica*, *Microcoſmo-Macrocoſmica*, *Sphigmica*, *Ethica*, *Politica*, *Metaphyſica*, *Hierarchica*, *Archetypa*.

ARTICULUS VIII.

Experimenta Curioſa Analogica.

E*Xperimentum* I. Quidam in arundine notavit omnes proportiones fiſtularum organi: Reſecuit enim ex arundine 15. inter nodales canales, & eos in fiſtulas animavit, & proportionem longitudinis craſſitieiéque fiſtularum pro *diſdiapaſon* conſtituenda tam à natura fabrefactam reperit, ut Organum illud arundineum ab inſigni confectum Artifice videretur. *Idem* etiam obſervatum fuit in quadam herba, quæ vocatur *Valeriana Minor*. *Idem* in alia, quæ dicitur *equiſetum*, imò & in aliis plantis thyrſigeris, in quarum thyrſis internodia ſpatia diſcrevit ijs intervallis natura, ut perfectiſſimam monochordi diviſionem exhibeat. Et in *Equiſeto* quidem eſt diviſio tam accurata, quaſi natura circinum adhibuiſſet.

Experimentum II. *Horologum*. In *Equiſeti* ſingulis internòdiis exhibet natura perfecta horologia æquinoctialia. Nam 24. folijs ad thyrſum velut ad axem æquali diſcrimine norma-

libus radiis lineas horarias refert, thyrſúſque ad altitudinem poli datam inclinatus umbrâ ſuâ intrà folia horam currentem denotat.

Experimentum III. *In* Lapidibus, qui Phaſmata Planetarum aliis & aliiscoloribus æmulantur, ut Topazius *Saturni*, Amethyſtus *Jovis*, Adamas *Martis*, Pyropus *Solis*, Berſillus *Veneris*, Achates *Mercurii*, Selenites *Lunæ*.

Experimentum IV. *In plantis.* Heleborus *Saturni*, Betonica *Jovis*, Abſynthium *Martis*, Heliotropium *Solis*, Satyrium *Veneris*, Pæonia *Mercurii*, Lunaria *Lunæ*.

Experimentum V. *In arboribus.* Cypreſſus *Saturni*, Citrus *Iovis*, quercus *Martis*, Laurus *Solis*, Myrthus *Veneris*, Malus punica *Mercurii*, Colutea *Lunæ*.

Experimentum VI. *In avibus.* Bubo *Saturni*, Aquila *Iovis*. Falco *Martis*, Gallus *Solis*, Cygnus *Veneris*, Pſittacus *Mercurii*, Anas *Lunæ*.

Et hæc breviter de Arte analogica In *ultima Parte* plura, & hujusmodi, quæ praxin ſpectant.

PARS QUARTA.

Ars Univerſalis Sciendi, (aut potiùs ignorandi,) Hebræorum ac Phythagoræorum.

DE hac irà Picus Concl. 68. Cabal. *Qui ſciverit, quid ſit denarius in Arithmetica formalis & cognôrit naturam primi numeri Spharici, ſciet ſecre-*

ſecreta 50. portarum lucis & 32 Sapientiæ Semitas Iubilæum Magnum. Pulchra verba! ſed videamus.

ARTICULUS I.
De Cabala Hebræorum

NOta I. *Artem hanc Hebræorum conſiſtere totam in Alphabeto*; fingunt enim Rabbini literas Hebræas velut aſtrorum canales eſſe, & tantæ virtutis, ut à literis illis omnia dependeant, quaſi omnis res ex vocal.bus & conſonantibus coaleſceret, aut quaſi literæ terreſtria forent aſtra, à quibus omnia producerentur. Unde per illarum *ſitus, figuras, conjunctiones, ſejunctiones, numerum, valorem, &c* omnia explicari ſcirique docent. Dicunt autem Regionem Angelorum per literas, quæ ab *Aleph* uſque ad *Iod* numerantur, deſignari. Per ceteras verò uſque ad *Thet* omnes rerum ſpecies ac differentias comprehendi, eumq; qui progredi vellet ad *millenarium*, redire dicunt ad *Aleph*, quod *mille* ſignificat, & ſoli DEO competit.

Nota II *Vanitatem hujus artis.* Quàm enim falſum primum Hebræorum Principium, quòd literæ vel aſtris reſpondeant, vel eorum figuras habeant. Et cur non potiùs hæ correſpondent Planatis, quàm illæ? cur non potiùs illæ Zodiaco, quàm hæ? Et nunquid ante literas ab hominibus inventas ſtellæ fuerunt, & influxus ſuos habuerunt? Et nunquid intrà horæ quadrantem per *artem Combinatoriam*, de qua *Parte 2â*, dicere poſſum, quot ſint poſſibiles 22. literarum Hebræarum *combinationes*? quot poſſibiles diverſæ *figuræ*? quot *ſitus*? & tamen hoc ipsô vix omniſcius ero, & tam doctus poſt literarum combinationes, quàm antè.

Objiciunt. Non noſti literas noſtras. Manârunt illæ a ro. *Zephiroth*, quæ ſunt *Veſtes* & *Attributa Divinitatis*. Et Moyſes his ipſis pervenit ad cognitionem *Merchava*, & alij Prophetæ, illarum virtute, vera prædixerunt. Ipſæ vero literæ reconditæ fuerunt in *Belmiach*, hoc eſt, *in Silentio Divinitatis*, donec *Adam* i lis uteretur ad nomina rebus ſingulis imponenda, quibus influentias cuilibet proprias deſignaret. *Hæc objectio* dat occaſionem articulis ſequentibus, ut videamus, quid hoc ſit Zephiroth & *Merchava?*

ARTICULUS II.

Cabala Hebræorum falſa, quotuplex?

ANte diviſionem *Cabalæ* propriam ſcito Hebræos, ſicut Græcos, non habere characteres pro numeris alios quam literas, hôc modô, *Aleph* ſignificat 1. *Beth* 2. *Gimel* 3. *Daleth* 4. & ſic conſequenter. Hoc tamen Notandum ab *Aleph* uſque ad *Jod* excluſivè eſſe *unitates*, à *Jod* uſque *ad Koph* excluſivè eſſe *decades*; à *Koph* uſque ad ultimam literam *Tau* eſſe *centenarios*. Cum autem perveniant tantùm uſque ad 500. addunt adhuc 5. *literas*, ùt vocant, *finales*, & perveniunt uſque ad 900. *Mille* ſignificat *Aleph* cum duabus virgulis ſuprà poſitis. *Duo millia Aleph* cum *Beth*. &c. ex quo patet, quodcunque vocabulum tum apud Hebræos, tum apud Græcos certum numerum comprehendere, ſi numeri literarum ſimul in unam Summam colligantur. Sic *Sybilla* prædixit Salvatorem mundi venturum, cujus nomen erunt *octo monades*, hoc eſt, unitates,

tes, & *octo decades* & *8. hecatontades* hoc eſt, centenarii, nimirum hic numerus: 888. Et verum eſt, quia nomen Jesus in Græco continet hunc numerum. Nam *Jota* ſignificat 10. *Ita* 8. *Sigma 200. Omicron 70. Ypſilon 400. Sigma 200.* Sic prædicitur in *Apocalypſi* nomen *Antichriſti* fore 666. His ſuppoſitis.

Nota I. *Cabalam falſam*, quæ Univerſæ ſuperſtitioni Hebrææ quidam promus condus eſt, à maleferiatis Rabbinis inductam triplicem eſſe. *Gametriam*, *Notariam*, *Temuram*.

Nota II. *Gametria* eſt Metatheſis, ſive *Tranſpoſitio literarum*, quando literæ tranſmutantur, vel dictio una pro alia ponitur, propter æqualitatem numerorum, quibus dictio illa æquivalet. Et hæc eſt multùm confinis noſtris anagrammatibus. v. G. *Pſ. 21. v. 1. In virtute tua lætabitur Rex*, ubi per nomen *Regis* intelligunt *Meſſiam*, quia literæ hujus Vocis tranſpoſitæ dant in Hebræo *Meſſias*.

Nota III. *Notaria* eſt eadem, quæ Græcis Latiniſque *Acroſtycha*, dum per Capitales nominum literas, vel per æqualitatem numerorum, ſub comparatis inter ſe vocabulis latentium, occultos rimantur ſenſus. *Exemplum* primi: *Dominus Rex fidelis*. Accipiunt Capitales literas, & fit: *Amen*. nam Vocabulum *Dominus* incipit in Hebræo ab *A*, & *Rex* ab M. & *fidelis* ab *N*. *Exemplum* ſecundi: quod Græci vocant ἰσοψηφίαν *æqualitatem calculi*. In *libro Eſther* conſiderant nomen *Suſanna*, hoc eſt, *lilium*, & dicunt idem eſſe, quod *Eſther*, cùm utrumque nomen in Hebræo numerum habeat 661. *No-*

Nota III, *Themura* ſive *Combinatoria* eſt, quando *Cabaliſtæ* per revolutionem Alphabetariam unam literam pro alia accipiunt Et hæc reſpondet noſtræ *Steganographiæ.* Accipio enim totum Alphabetum ſic, ut ſemper duas literas conjungam A B. C D E F. &c. deinde ſcribens Epiſtolam, accipio B. pro A. & A. pro B. &c. v. G. ſcribo DBCF. quid hoc ſignificat? *cade*: quia loco C. pono D &c.

Nota IV. *Vanitatem hujus Cabalæ.* Vides has quidem eſſe Combinationes artificioſas, ſed abutuntur iis Rabbini, & putant ſe per hoc omnem ſcientiam & mira Myſteria ex quocunque textu eruere, literas tranſponendo, numeros earum computando, aliam pro alia accipiendo, ac ità volunt ex unica dictione ſenſus plurimos & planè contrarios erui, bonos & malos, proprios & improprios v. G. dicunt: eſt in ſacra Scriptura in Hebræo: *Angelus meus*, tranſponunt literas & prodit *Michael* inferunt: *Ergo Scriptura Michaelem ibi ſignat.* Amabò! etiam prodit *Caamiel*, hoc eſt, *Angelus ignis.* cur non potiùs iſte ſignatur? etiam prodit *Kimael*, *angelus plagarum*; cur non potiùs iſte? *Ecce*! quàm nihil ſolidi, nihil veritatis in *Arte Cabaliſtarum*, ut proinde abuſus iſte jure proſcriptus ſit ab Eccleſia.

Nota ultimo. Me perſæpe miratum fuiſſe, dum viderem viros quoſdam Nobilis alioquin Authoritatis, huic Arti & aurem & operam, & fidem dare. Aliud eſt ſimilibus combinationibus velut ludô, vel quâdam argutia ſe diſtrahere; aliud eſt ſenſus hujuſmodi combinationibus

nibus erutos pro myſteriis Sapientiæque arcanis habere.

ARTICULUS. III.

Cabala Hebræorum vera dividitur.

VERA *vocatur, non quòd etiam in hac non fiant abuſus ab Hebræis; ſed quòd hâc, & non alterâ Hebræi veteres uſi ſint.*

Nota I. Hanc *cabalam* duplicem eſſe: *Merchavam*, & *Bereſchit*. *Merchava* idem eſt, quòd *ſcientia currûs*, & *Bereſchit* idem, quod *opus creationis*. *Merchava* ſcrutatur Arcana mundi Intellectualis; *Bereſchit* opera mundi ſenſibilis, ab intellectuali mundo per jugem influxum dependentis. Verbô *Merchava* verſatur circa *decem Sephiroth*, de quibus paulò mox, ac Divinorum influxuum myſteria. *Bereſchit* circa DEI, Angelorúmque nomina, quæ ſunt veluti quædam mundi hujus ſenſibilis ſignacula.

Nota II. Putant Hebræi, ſe horum *Divinorum* nominum ex diverſis combinationibus erutorum adhibitione varia impetrare poſſe. Sicut & per nomina *Angelorum*, quibus vim à Superioribus DEI nominibus influere dicunt, & ab his eandem communicari aſtris, & demum per Aſtrorum influentias rebus ſublunaribus. Denique à mundo *Archetypo* dependere *Angelicum*, ab hoc *ſidereum*, ab hoc *Elementarem*. Unde

Nota III. Patet, haud ineptum eſſe, quod dicunt, modò intrà legitimos terminos conſiſterent. Nec ars eorum multùm eſſet diverſa ab *Arte Analogica*,

gica. Quod ut clarius ob oculos ponatur, Sit,

ARTICULUS IV.

Schema 10. *Sephiroth & influxûs Nominum DEI in inferiora.*

Sicut in Philoſophia Ariſtotelica Ens dividitur in 10 prædicamenta, quorum ambitu omne ſcibile comprehendere voluit Ariſtoteles; ita Hebræi dicunt primum omnium, & extra 10. *ſequentia infinitum & reconditum Ens eſſe, ex quo cetera* 10. *profluunt, ut ſequitur.*

Primo. Nomen DEI *Ehieh*, hoc eſt, *ſum, qui ſum*, & cognomen *Kether*, hoc eſt, *Corona*, influit in Seraphinos & ope Intelligentiæ *Metatron ſarpanim. Item* in primum mobile. *Item* in caput & cœum Empyreum.

Secundo. Nomen DEI *Jah*, hoc eſt, *Eſſentia Eſſentians*, & cognomen, *Cochma*, hoc eſt, *Sapientia*, influit in Cherubinos, & ope Intelligentiæ *Ratſici. Item* in firmamentum. *Item* in os & primum mobile.

Tertio. Nomen DEI *Jehova*, hoc eſt, *DEUS Deorum*, & cognomen *Binah*, hoc eſt, *Intelligentia*, influit in Thronos & ope Intelligentiæ *Sabtael. Item* in Sphæram Saturni *Item* in linguam & Firmamentum.

Quarto. Nomen DEI *Eloah*, hoc eſt, *Deus Creator*, & cognomen *Gedulah*, hoc eſt *Magnificentia*, influit in Dominationes & ope Intelligentiæ *Iſadkiel. Item* in cœlum Jovis. *Item* in ſplenem & Saturnum.

Quinto. Nomen DEI *Elohim*, hoc eſt, *Deus potens*, & cognomen *Geburath*, hoc eſt, Fortitudo, influit in Poteſtates & ope Intelligentiæ

Ca-

Camael. *Item* in cœlum Martis. *Item* in hepar & Jovem.

Sextò. Nomen DEI *Jehovah*, hoc eſt, DEUS fortis. & cognomen *Tiphereth*, hoc eſt, *pulchritudo*, influit in virtutes & ope Intelligentiæ *Raphael.* Item in Cœlum Solis. Item in Cor & Solem.

Septimo. *Jehova Iſebacth*, hoc eſt, *DEUS exercituum*, & cognomen *iſah*, hoc eſt, *Victoria, Æternitas triumphans*, influit in Principatus, & ope Intelligentiæ *Haniel.* *Item* in Cœlum Veneris. *Item* in Stomachum & Martem.

Octavo. Nomen DEI *Elohim Iſebaoth*, hoc eſt, *Dominus Deus Exercituum*, & cognomen *Hod*, hoc eſt, *Gloria honor*, influit in Archangelos & ope Intelligentiæ *Michael. Item* in Cœlum Mercurii. *Item* in renes, & Venerem.

Nono. Nomen DEI, *Elchai* hoc eſt, *Omnipotens*, & cognomen *Je Sod*, hoc eſt, *Fundamentum*, influit in Angelos & ope Intelligentiæ *Gabriel.* Item in coelum Lunæ *Item* in Pulmonē & Mercuriū.

Decimo. Nomen DEI *Adonai*, hoc eſt *Dominus*, & cognomen *Malchuth*, hoc eſt, *Regnum*, influit in animas, & ope Intelligentiæ *Malchiel.* *Item* in omnem Lunæ ſubjectum Elementarem mundum. *Item* in Genitalia & Lunam.

ARTICULUS V.

De Cabala Pythagoricorum.

HUjus Cabalæ *fundamentum eſſe in Sacra Scriptura Cabaliſtæ Pythagorici aſſerunt*, *quæ dicit DEUM omnia in* numero, pondere, & menſura *creâſſe, & hinc numerum præ omnibus aliis Sacrum*

eſſe,

eſſe, in eóque Scientiarum omnium Sacramenta latere. Vocant autem Cabalam Pythagoricam, *quaſi nata ſit Patre* Phythagorâ, *ut tam famoſi Viri nomine Arti ſuæ, hoc eſt, impoſturis authoritatem concilient. De hac nota paucula.*

Nota I. Hi Pythagorici Myſtæ, ſeu potiùs nebulones, varia habent Alphabeta onomatomantica, quorum literis numerus certus ſupponitur, Alphabetum Latinum pro Latinis, Gallicum pro Gallis, &c. & horum ope mira ſe invenire opinantur. Alphabetum primarium appono *Cornelis Agrippæ*, veriùs ὀνομαντικὸν quàm ὀνομαλομαντικόν

A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.	L.	M.	N.	O.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	20.	30.	40.	50.
P.	Q.	R.	S.	T.	V.	X.	Y.	Z.					
60.	70.	80.	90.	100.	200.	300.	400.	500.					

Nota II. Hóc Alphabetum ad ſimilitudinem Græci & Hebræi eſſe quoad numeros, *ut patet ex Artic*: 2. Unicam praxim hoc Alphabeto exerceri paſſim ſolitam laudo, nimirum *Carmen Cabaliſticum* omnibus notum. Praxes ceteræ, quibus Phythagorici neſcio quæ Sapientiæ, an Inſipientiæ arcana quærunt, ſtultæ ſunt. Ex omnibus duas ſubnecto, eaſque Aſtrologicas.

Prax[illegible] inquirendam ſtellam dominatricem. Si [illegible]eras, inquiunt, alicujus nati domi[illegible]em, computa nomen ejus, & utriuſq; [illegible] ſingulas literas per numerum præ[illegible]ng; collectam Summam divide

per

per 9. & ſi remanſerit 1. aut 4. *Solem* indicat. ſi 2. aut 7. *Lunam* deſignat. ſi 3. *Iovem* ſi 5. *Mercurium*. ſi 6. *Venerem*. ſi 8. *Saturnum*. ſi 9. *Martem*.

Praxis pro Horoſcopo. Computa nomen Patris & Matris, natique, & ſummam collectam per 12. divide. Si remanſerit 1. *leonem* indicat. ſi 2. *aquarium*. ſi 3. *Capricornum*. Si 4. *Sagittarium*. Si 5. *Cancrum*. Si 6. *Taurum*. Si 7. *Arietem*. Si 8. *Libram*. Si 9. *Virginem*. Si 10. *Scorpium*. Si 11. *Piſces*. Si 12. *Geminos*.

Nota III. Quis credat has ineptias? nunquid manifeſtè ſequeretur in libertate parentum eſſe, ut Filios ſuos felices reddant, dummodo iis ejuſmodi nomen imponant, quod cum nominibus ſuis propriis efficiat numerum felicis ſtellæ ſignificativum? Et quod praxin alteram ſpectat, cur numerus binarius notat potiùs *Aquarium*, quàm *Taurum*, *&c.*

Nota IV. Aliud Pythagoricorum Alphabetum *ſciendi*, hoc eſt, *ignorandi*.

A.	B.	C.	D.	E	F.	G.	H.	I.	K.	L.	M.	N.	O.
3.	3.	22.	24.	22.	3.	8.	6.	29	10.	12.	23.	12.	8.
P.	Q	R.	S.	T.	V.	X.	Y.	Z.					
13.	23.	13.	9.	8.	2.	6.	3.	4.					

Inter ceteras hujus Alphabeti praxes eſt hæc: Ex numerica ſumma nominum aſſumptorum auferunt. 9. toties, quoties poſſunt; & reſidua conſiderant, interdumque victoriam adſcribunt reſiduo Majori, interdum minori

v. g.

v. 6. ſi ſupereſt quaternarius, & ternarius, tunc 4. felix eſt, & vincit. Item ſi 5. & 7. tunc 5. vincunt. Si 1. & 2. tunc 2. cadunt. Item ſi 1. & 3 tunc 3. vincunt. Et

Nota V. Nunquid hoc manifeſtè falſum? Do Exemplum in *Abel* & *Cain*. *Cain* habet reſiduum 3. *Abel* 4. & tamen Abel cecidit. *Item Joab* reſiduum habet 5. *Abſolon* 7. & tamen *Joab* vicit. Accedit ſæpe numero ſequi, quòd is, qui ſuperaretur *Latinè*, ſuperaret *Gallicè*, *&c.* Nam inquire numerum *Stephani* & *Mariæ* in Latino, ſuperabit *Maria*. Inquire eorundem numerum in *Gallico*, ſuperabit *Stephanus*, *&c.* Id quod *Merſennus in Geneſin* peracutè notavit. *Sed manum ad Tabulam Pythagoricam utiliorem ſciendi.*

ARTICULUS Ultimus.

Prædicamenta Pythagoræ, eorum Origo & obſcuritas.

NOta I. Author Philoſophiæ *Pythagoras*, ut ſummam rerum omnium in Mundo farraginem univerſali quâdam Epitome comprehenderet, compoſuit *Decalogum Philoſophicum*, in quo 10. *claſſes Oppoſitorum*. Et ad hunc putavit ille reduci poſſe, quidquid in univerſo Scientiarum ambitu continetur. Igitur

Nota II. Cum tres potiſſimum Scientias eſſe ſibi perſuaderet, nimirum, *Methaphyſicam*, *Phyſicam*, *Mathematicam*, tres in Decalogo ſuo poſuit ordines, in quibus univerſim 20. oppoſita, 4. pro *Metaphyſica*, 6 pro *Phyſica*, 10. pro *Mathematica*. Quæ ſic habent.

Pro

Pro Metaphy-ſica.	{	*unum, plura.*
		bonum, malum.
		lumen, tenebræ
Pro Phyſica.		*Motus, quies.*
		Maſculum, femininum.
		Dextrum, ſiniſtrum:
Pro Mathematica.		*Par, impar.*
		Quadratum, oblongum.
		Rectum, Curvum.
		Finitum, infinitum,

Nota III. quod *Conimbricenſes in Phyſ. Ariſtot. l.* 1. *c.* 7. *q.* 1. *ar.* 3. habent: nimirum *Pythagoræos* Arithmeticæ ſtudioſiſſimos totum naturæ Ordinem, vires & effecta præſertim in denarium cum *Phythagora* retuliſſe, quòd hic numerus tam excellens ſit,ut in eo ceteri claudantur. Nam dum ad denarium pervenimus, ád unitátem redimus. Hinc totam naturæ Univerſitatem δεκάδα nuncupârunt; nunquam tamen plenè conſtitit, quid per denarium illum prædicamentorum indicare voluerint. nihilominus.

Nota ultimò. Me in *ultima Parte* ex hac ipſa Prædicamentorum Pythagoræorum obſcuritate, clarum modum elicere de quacunque propoſita materia ſat expeditè diſſerendi, omnigenáque pro quocunque themate argumenta adducendi.

PARS
QUINTA.

Ars Univerſalis Sciendi ac diſſerendi Ariſtotelica.

Conſiſtit hæc Ars tota in Ariſtotelis Logica, *quæ conſtat libro* Categoriarum, *ſeu* de Prædicamentis, *libris περὶ ἑρμηνείας ſive* de interpretatione, *libris* de priori & poſteriori Reſolutione; *Libris* Topicorum *ſive* de Syllogyſmo Dialectico *& libris* Elenchorum. *Nos hîc paucula: in* Summulis, *ut vocant, vide cetera.*

ARTICULUS I.
De Categoriis ſive Prædicamentis.

Primo. Ariſtoteles poſtquam in libro *Categoriarum* ſeu *Prædicamentorum* explanavit, quid ſint *univoca, æquivoca, denominativa*? item, *quæ ſint in ſubjecto*, aut *non ſint*? Item *quæ de ſubjecto dicantur, quæ non*? Subjungit *Regulam* duplicem *antepredicamentalem*. 1. eſt utilis ad rectè ordinanda in quolibet prædicamento prædicata ſuperiora & inferiora. 2. eſt utilis ad dividenda genera, majoráque prædicamenta in ſuas differentias. Sunt autem hæ.

Secundo. Regulæ Antepradicamentales. 1. *quando alterum de altero prædicatur ut de ſubjecto* (hoc eſt, de inferiori) *quæcunque eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia etiam de ſubjecto dicuntur.* v. G. *homo* prædicatur *de Petro* ut de inferiori: *animal* prædicatur *de homine* eſſentialiter ideóque etiam *animal* de Petro prædicatur eſſentialiter. 2. *Diverſorum generum & non ſubalternatim poſitorum diverſæ ſunt ſpecie differentiæ,* ut *animalis & ſcientiæ.* v. G. *gresſile, volatile, aquatile, bipes &c.* ſunt differentiæ *animalis,* non autem ſunt differentiæ *Scientiæ,* His poſitis,

Tertio. Dividit *Ens* in 10. *prædicamenta*, ſeu in 10. *genera Univerſalia*, hoc eſt, omnia, quæcunque ab intellectu humano ſciri poſſunt. *ad* 10. *terminos genericos reducit*, & ſuo ſub ſingulis ordine collocat ea, quæ ſubordinatè ſub ſingulis continentur, vel tanquam genera minus univerſalia, vel tanquam ſpecies intermediæ, vel tanquam ſpecies infimæ, vel tanquam individua. *Vide Arborem Porphyrianam.*

Quarto. Decem autem illi termini generici ſunt hi: *ſubſtantia, quantitas, Relatio, qualitas, actio, paſſio, quando, ubi, ſitus, habere.* Quæ binis verſibus exprimi poſſunt.

Subſtant, quanta, refert, quale, actio, paſſio, ubique,
Quando, ſitúſque, habitúſq;, ad quæ revocabitur omne.

Quinto. Sunt verò quædam extra prædicamenta, ut *voces ex pluribus compoſitæ, non ſignificantia niſi alteri juncta, Entia rationis, multa ſignificans, termini ſecundæ intentionis, infinita actu, tranſcendentia, carentiæ, partes*, & exprimuntur his Verſibus:

Conceptum, conſignificans; fictum, polyſemum,
Vox Logicæ, DEUS, excedens, privatio, parſque.

Sexto. Ad finem libri apponit *Ariſtoteles* quædam prædicamenta multis prædicamentis communia, quæ *Poſtprædicamenta* appellantur. ut, *eſſe oppoſita, eſſe priùs, eſſe poſteriùs, eſſe ſimul, moveri* aliquâ ſpecie motûs.

Et hæc ſunt, quæ Ariſtoteles de *prædicamentis* habet. Quibus ſanè nihil utilius ad deſcribendum, & ad diſcurrendum. Cùm autem hoc ipſum pauculis oſtenſurus ſim *Parte ultimâ* in diverſis *Articulis*, explanemus pauculis hîc 10. *terminos* univerſales.

ARTICULUS II.

Adminicula ad Ariſtotelis Prædicamenta pro praxi pernoſcenda.

OMnino neceſſarium eſt, ſi quis prædicamentis his uti velit ad diſcurrendum de omni re propoſita, ut noſcat perbellè, in quonam prædicamento res illa ſit, & conſequenter, ut ejus Genus & ſpecies intelligat. V. G. *Diſcurrendum eſt illi de virtute. Sciendum ergo, quòd virtus ſit in prædicamento Qualitatis, & ipſius ſpecies prudentia, Iuſtitia, &c.* Nota igitur in hunc finem paucula, quæ ſequuntur.

Primò: Subſtantia. In hoc prædicamento ſunt hæc novem: *DEUS* (quamvìs valde impropriè, ut ex dictis patet) *Angeli, Cœli, Elementa, Meteora, Mineralia, Plantæ, animalia irrationalia, Homo.* quæ parte 7. ar. 7. explicabuntur,

Secundò. Quantitas. In hoc prædicamento eſt rerum magnitudo, longum, latum, profundum, linea, ſuperficies, corpus, intenſum, extenſum, &c. *Item* rerum multitudo per *quot*, ordinata per *quotus*, multiplicata per *quotuplex*, diſtributa per *quoties*. Verbô *omnis quantitas* continua, & permanens, & ſucceſſiva: omnis diſcreta, & numerus par, & impar. *Item* omne, quod

quod menſurat, liquida, arida, pondus intervalla, ſonos & ſyllabas.

Tertiò. Qualitas. In hoc Prædicamento continentur. 1. omnes *diſpoſitiones*, & *habitus*, infuſi, acquiſiti, *morales* in voluntate, *Intellectuales* in Intellectu, omnes virtutes & vitia, &c. 2. *omnes potentiæ* & facultates naturales, ùt potentia Intellectiva, volitiva, vegetativa, ſenſitiva, &c. 3. *omnes qualitates paſſibiles*, quæ immutant ſenſum; undecim *paſſiones* animi, & plures corporis; qualitates primæ, & ſecundæ, &c. omnia Objecta ſenſuum, ùt *color, ſonus, odor, ſapor, &c.* 4. *omnes figuræ*, rectæ, curvæ, circulares, &c triangulares, quadrangulares, &c.

Quartò. Relatio. In hoc prædicamento ſunt omnes comparationes, omnes reſpectus, omnes paritates, ſimilitudines, diſſimilitudines, æqualitates, &c.

Quintò. Ad actionem & *paſſionem* revocantur omnia conſilia, dicta, facta, omnes actiones, functiones ſeu operationes rerum, quæ ſunt motus activus ex agente in patiens, uti paſſio eſt motus in patiente impreſſus à Cauſa efficiente. Et utraque dividitur vel *ratione Principij*, vel *objecti*, vel *termini*.

Sextò. Ad *Ubi* revocantur omnia, quæ ad *locum* pertinent: *Intus, foris, ſurſum, deorſum, ſiniſtrorſum, antrorſum, retrorſum &c.*

Septimo. Ad *quando.* quidquid ad tempus: *hora, anni ſecula &c. heri, hodie, manè, veſperi &c.*

Nota III, *Themura* ſive *Combinatoria* eſt, quando *Cabaliſtæ* per revolutionem Alphabetariam unam literam pro alia accipiunt. Et hæc reſpondet noſtræ *Steganographiæ*. Accipio enim totum Alphabetum ſic, ut ſemper duas literas conjungam AB. CD EF. &c. deinde ſcribens Epiſtolam, accipio B. pro A. & A. pro B. &c. v. g. ſcribo DBCF. quid hoc ſignificat? *eadem*: quia loco C. pono D &c.

Nota IV. *Vanitatem hujus Cabalæ.* Vides has quidem eſſe Combinationes artificioſas, ſed abutuntur iis Rabbini, & putant ſe per hoc omnem ſcientiam & mira Myſteria ex quocunque textu eruere, literas tranſponendo, numeros earum computando, aliam pro alia accipiendo, ac ità volunt ex unica dictione ſenſus plurimos & planè contrarios erui, bonos & malos, proprios & improprios v. g. dicunt: eſt in ſacra Scriptura in Hebræo: *Angelus meus*, tranſponunt literas & prodit *Michael* inferunt: *Ergo Scriptura Michaelem ibi ſignat.* Amabò! etiam prodit *Caamiel*, hoc eſt, *Angelus ignis.* cur non potiùs iſte ſignatur? etiam prodit *Kimael*, *angelus plagarum*; cur non potiùs iſte? *Ecce*! quàm nihil ſolidi, nihil veritatis in *Arte Cabaliſtarum*, ut proinde abuſus iſte jure proſcriptus ſit ab Eccleſia.

Nota ultimo. Me perſæpe miratum fuiſſe, dum viderem viros quoſdam Nobilis alioquin Authoritatis, huic Arti & aurem & operam, & fidem dare. Aliud eſt ſimilibus combinationibus velut ludô, vel quâdam argutia ſe diſtrahere; aliud eſt ſenſus hujuſmodi combinationibus

nibus erutos pro myſteriis Sapientiæque arcanis habere.

ARTICULUS. III.

Cabala Hebræorum vera dividitur.

VERA *vocatur, non quòd etiam in hac non fiant abuſus ab Hebræis; ſed quòd hâc, & non alterâ Hebræi veteres uſi ſint.*

Nota I. Hanc *cabalam* duplicem eſſe: *Merchavam*, & *Bereſchie*. *Merchava* idem eſt, quòd *ſcientia currûs*, & *Bereſchit* idem, quod *opus creationis*. *Merchava* ſcrutatur Arcana mundi Intellectualis; *Bereſchit* opera mundi ſenſibilis, ab intellectuali mundo per jugem influxum dependentis. Verbô *Merchava* verſatur circa *decem Sephiroth*, de quibus paulò mox, ac Divinorum influxuum myſteria. *Bereſchit* circa DEI, Angelorúmque nomina, quæ ſunt veluti quædam mundi hujus ſenſibilis ſignacula.

Nota II. Putant Hebræi, ſe horum *Divinorum* nominum ex diverſis combinationibus erutorum adhibitione varia impetrare poſſe. Sicut & per nomina *Angelorum*, quibus vim à Superioribus DEI nominibus influere dicunt, & ab his eandem communicari aſtris, & demum per Aſtrorum influentias rebus ſublunaribus. Denique à mundo *Archetypo* dependere *Angelicum*, ab hoc *ſidereum*, ab hoc *Elementarem*. Unde

Nota III. Patet, haud ineptum eſſe, quod dicunt, modò intrà legitimos terminos conſiſterent. Nec ars eorum multùm eſſet diverſa ab *Arte Analogica*,

gica. Quod ut clarius ob oculos ponatur, Sit,

ARTICULUS IV.

Schema 10. Sephiroth & influxûs Nominum DEI in inferiora.

Sicut in Philoſophia Ariſtotelica Ens dividitur in 10 prædicamenta, quorum ambitu omne ſcibile comprehendere voluit Ariſtoteles; ita Hebræi dicunt primum omnium, & extra 10. ſequentia infinitum & reconditum Ens eſſe, ex quo cetera 10. profluunt, ut ſequitur.

Primo Nomen DEI *Ehieh*, hoc eſt, *ſum, qui ſum*, & cognomen *Kether*, hoc eſt, *Corona*, influit in Seraphinos & ope Intelligentiæ *Metatron ſarpanim. Item* in primum mobile. *Item* in caput & cœum Empyreum.

Secundo. Nomen DEI *Jah*, hoc eſt, *Eſſentia Eſſentians*, & cognomen, *Cochma*, hoc eſt, *Sapientia*, influit in Cherubinos, & ope Intelligentiæ *Raſici. Item* in firmamentum. *Item* in os & primum mobile.

Tertio. Nomen DEI *Jeh va*, hoc eſt, *DEUS Deorum*, & cognomen *Binah*, hoc eſt, *Intelligentia*, influit in Thronos & ope Intelligentiæ *Sabtael. Item* in Sphæram Saturni *Item* in linguam & Firmamentum.

Quarto. Nomen DEI *Eloah*, hoc eſt, *Deus Creator*, & cognomen *Gedulah*, hoc eſt *Magnificentia*, influit in Dominationes & ope Intelligentiæ *Iſadkiel. Item* in cœlum Jovis. *Item* in ſplenem & Saturnum.

Quinto. Nomen DEI *Elohim*, hoc eſt, *Deus potens*, & cognomen *Geburath*, hoc eſt, Fortitudo, influit in Poteſtates & ope Intelligentiæ

Ca-

Camaël. *Item* in cœlum Martis. *Item* in hepar & Jovem.

Sextò. Nomen DEI *Jehovah*, hoc eſt, DEUS fortis. & cognomen *Tiphereth*, hoc eſt, *pulchritudo*, influit in virtutes & ope Intelligentiæ *Raphael.* Item in Cœlum Solis. Item in Cor & Solem.

Septimo. *Johova Isebaoth*, hoc eſt, *DEUS exercituum*, & cognomen *iſah*, hoc eſt, *Victoria*, *Æternitas triumphans*, influit in Principatus, & ope Intelligentiæ *Haniel.* *Item* in Cœlum Veneris. *Item* in Stomachum & Martem.

Octavo. Nomen DEI *Elohim Iſebaoth*, hoc eſt, *Dominus Deus Exercituum*, & cognomen *Hod*, hoc eſt, *Gloria honor*, influit in Archangelos & ope Intelligentiæ *Michael.* *Item* in Cœlum Mercurii. *Item* in renes, & Venerem.

Nono. Nomen DEI, *Elchai* hoc eſt, *Omnipotens*, & cognomen *Je Sod*, hoc eſt, *Fundamentum*, influit in Angelos & ope Intelligentiæ *Gabriel.* Item in coelum Lunæ *Item* in Pulmonē & Mercuriū.

Decimo. Nomen DEI *Adonai*, hoc eſt *Dominus*, & cognomen *Malchuth*, hoc eſt, *Regnum*, influit in animas, & ope Intelligentiæ *Malchiel.* *Item* in omnem Lunæ ſubjectum Elementarem mundum. *Item* in Genitalia & Lunam.

ARTICULUS V.

De Cabala Pythagoricorum.

HUjus Cabalæ *fundamentum eſſe in Sacra Scriptura Cabaliſtæ Pythagorici aſſerunt*, *quæ dicit DEUM omnia in* numero, pondere, & menſura *creaſſe*; *& hinc numerum præ omnibus aliis Sacrum*

eſſe,

eſſe, in eóque Scientiarum omnium Sacramenta latere. Vocant autem Cabalam Pythagoricam, *quaſi nata ſit Patre* Phythagorâ, *ut tam famoſi Viri nomine Arti ſuæ, hoc eſt, impoſturis authoritatem concilient. De hac nota paucula.*

Nota I. Hi Pythagorici Myſtæ, ſeu potiùs nebulones, varia habent Alphabeta onomatomantica, quorum literis numerus certus ſupponitur, Alphabetum Latinum pro Latinis, Gallicum pro Gallis, &c. & horum ope mira ſe invenire opinantur. Alphabetum primarium appono *Cornelii Agrippæ*, veriùs ὀνομαντικὸν quàm ὀνομαλομαντικόν

A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.	L.	M.	N.	O.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	20.	30.	40.	50.
P.	Q.	R.	S.	T.	V.	X.	Y.	Z.					
60.	70.	80.	90.	100.	200.	300.	400.	500.					

Nota II. Hóc Alphabetum ad ſimilitudinem Græci & Hebræi eſſe quoad numeros, *ut patet ex Artic*: 2. Unicam praxim hoc Alphabeto exerceri paſſim ſolitam laudo, nimirum *Carmen Cabaliſticum* omnibus notum. Praxes ceteræ, quibus Phythagorici neſcio quæ Sapientiæ, an Inſipientiæ arcana quærunt, ſtultæ ſunt. Ex omnibus duas ſubnecto, eaſque Aſtrologicas.

Praxis ad inquirendam ſtellam dominatricem. Si ſcire deſideras, inquiunt, alicujus nati dominatricem ſtellam, computa nomen ejus, & utriuſq; Parentis per ſingulas literas per numerum præſcriptum, totamq; collectam Summam divide

per

per 9. & ſi remanſerit 1. aut 4. *Solem* indicat. ſi 2. aut 7. *Lunam* deſignat. ſi 3. *Iovem* ſi 5. *Mercurium.* ſi 6. *Venerem.* ſi 8. *Saturnum.* ſi 9. *Martem.*

Praxis pro Horoſcopo. Computa nomen Patris & Matris, natique, & ſummam collectam per 12. divide. Si remanſerit 1. *leonem* indicat. ſi 2. *aquarium.* ſi 3. *Capricornum.* Si 4. *Sagittarium.* Si 5. *Cancrum.* Si 6. *Taurum.* Si 7. *Arietem.* Si 8. *Libram.* Si 9. *Virginem.* Si 10. *Scorpium.* Si 11. *Piſces.* Si 12. *Geminos.*

Nota III. Quis credat has ineptias? nunquid manifeſtè ſequeretur in libertate parentum eſſe, ut Filios ſuos felices reddant, dummodo iis ejuſmodi nomen imponant, quod cum nominibus ſuis propriis efficiat numerum felicis ſtellæ ſignificativum? Et quod praxin alteram ſpectat, cur numerus binarius notat potiùs *Aquarium*, quàm *Taurum*, *&c.*

Nota IV. Aliud Pythagoricorum Alphabetum ſciendi, hoc eſt, *ignorandi.*

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O.
3. 3. 22. 24. 22. 3. 8. 6. 29 10. 12. 23. 12. 8.
P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z.
13 23. 13. 9. 8. 2. 6. 3. 4.

Inter cæteras hujus Alphabeti praxes eſt hæc: Ex numerica ſumma nominum aſſumptorum auferunt. 9. toties, quoties poſſunt; & reſidua conſiderant, interdumque victoriam adſcribunt reſiduo Majori, interdum minori

v. g.

v. 6. ſi ſupereſt quaternarius, & ternarius, tunc 4. felix eſt, & vincit. Item ſi 5. & 7. tunc 5. vincunt. Si 1. & 2. tunc 2. cadunt. Item ſi 1. & 3. tunc 3. vincunt. Et

Nota V. Nunquid hoc manifeſtè falſum? Do Exemplum in *Abel* & *Cain*. *Cain* habet reſiduum 3. *Abel* 4. & tamen Abel cecidit. *Item Joab* reſiduum habet 5. *Abſolon* 7. & tamen *Joab* vicit. Accedit ſæpe numero ſequi, quòd is, qui ſuperaretur *Latinè*, ſuperaret *Gallicè*, *&c.* Nam inquire numerum *Stephani* & *Mariæ* in Latino, ſuperabit *Maria*. Inquire eorundem numerum in Gallico, ſuperabit *Stephanus*, *&c.* Id quod *Merſennus in Geneſin* peracutè notavit. *Sed manum ad Tabulam Pythagoricam utiliorem ſciendi.*

ARTICULUS Ultimus.

Prædicamenta Pythagoræ, eorum Origo & obſcuritas.

Nota I. Author Philoſophiæ *Pythagoras*, ut ſummam rerum omnium in Mundo farraginem univerſali quâdam Epitome comprehenderet, compoſuit *Decalogum Philoſophicum*, in quo 10. *claſſes Oppoſitorum*. Et ad hunc putavit ille reduci poſſe, quidquid in univerſo Scientiarum ambitu continetur. Igitur

Nota II. Cum tres potiſſimum Scientias eſſe ſibi perſuaderet, nimirum, *Methaphyſicam*, *Phyſicam*, *Mathematicam*, tres in Decalogo ſuo poſuit ordines, in quibus univerſim 20. oppoſita, 4. pro *Metaphyſica*, 6 pro *Phyſica*, 10. pro *Mathematica*. Quæ ſic habent.

Pro

Pro Metaphyſica.	*unum, plura.*
	bonum, malum.
Pro Phyſica.	*lumen, tenebræ*
	Motus, quies.
	Maſculum, femininum.
	Dextrum, ſiniſtrum:
Pro Mathematica.	*Par, impar.*
	Quadratum, oblongum.
	Rectum, Curvum.
	Finitum, infinitum,

Nota III. quod *Conimbricenſes in Phyſ. Ariſtot. l. 1. c. 7. q. 1. ar. 3.* habent: nimirum *Pythagoræos* Arithmeticæ ſtudioſiſſimos totum naturæ Ordinem, vires & effecta præſertim in denarium cum *Phythagora* retuliſſe, quòd hic numerus tam excellens ſit, ut in eo ceteri claudantur. Nam dum ad denarium pervenimus, ad unitatem redimus. Hinc totam naturæ Univerſitatem δεκάδα nuncupârunt; nunquam tamen plenè conſtitit, quid per denarium illum prædicamentorum indicare voluerint. nihilominus.

Nota ultimò. Me in *ultima Parte* ex hac ipſa Prædicamentorum Pythagoræorum obſcuritate, clarum modum elicere de quacunque propoſita materia ſat expeditè diſſerendi, omnigenáque pro quocunque themate argumenta adducendi.

PARS QUINTA.

Ars Univerſalis Sciendi ac diſſerendi Ariſtotelica.

CONſiſtit hæc *Ars tota in* Ariſtotelis Logica, *quæ conſtat libro* Categoriarum, *ſeu* de Prædicamentis, *libris περὶ ἑρμηνείας ſive* de interpretatione, *libris* de priori & poſteriori Reſolutione; *Libris* Topicorum *ſive* de Syllogyſmo Dialectico *& libris* Elenchorum. *Nos hîc paucula: in* Summulis, *ut vocant, vide cetera.*

ARTICULUS I.
De Categoriis ſive Prædicamentis.

PRimo. *Ariſtoteles* poſtquam in libro *Categoriarum* ſeu *Prædicamentorum* explanavit, quid ſint *univoca, æquivoca, denominativa?* item, *quæ ſint in ſubjecto*, aut *non ſint?* Item *quæ de ſubjecto dicantur, quæ non?* Subjungit *Regulam* duplicem *antepredicamentalem*.1.eſt utilis ad rectè ordinanda in quolibet prædicamento prædicata ſuperiora & inferiora.2.eſt utilis ad dividenda genera, majoráque prædicamenta in ſuas differentias. Sunt autem hæ.

Secundo. Regulæ Antepredicamentales. 1. *quando alterum de altero prædicatur ut de ſubjecto* (hoc eſt, de inferiori] *quæcunque eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia etiam de ſubjecto dicuntur.* v. G. *homo* prædicatur *de Petro* ut de inferiori: *animal* prædicatur *de homine* eſſentialiter ideóque etiam *animal* de Petro prædicatur eſſentialiter. 2. *Diverſorum generum & non ſubalternatim poſitorum diverſæ ſunt ſpecie differentiæ*, ut *animalis & ſcientiæ.* v. G. *greſſile, volatile, aquatile, bipes &c.* ſunt differentiæ *animalis*, non autem ſunt differentiæ *Scientiæ*, His poſitis,

Tertio.

Tertio. Dividit *Ens* in 10. *prædicamenta*, ſeu in 10. *genera Univerſalia*, hoc eſt, omnia, quæcunque ab intellectu humano ſciri poſſunt. *ad* 10. *terminos genericos reducit*, & ſuo ſub ſingulis ordine collocat ea, quæ ſubordinatè ſub ſingulis continentur, vel tanquam genera minus univerſalia, vel tanquam ſpecies intermediæ, vel tanquam ſpecies infimæ, vel tanquam individua. *Vide Arborem* Porphyrianam.

Quarto. Decem autem illi termini generici ſunt hi: *ſubſtantia, quantitas, Relatio, qualitas, actio, paſſio, quando, ubi, ſitus, habere.* Quæ binis verſibus exprimi poſſunt.

Subſtant, quanta, refert, quale, actio, paſſio, ubique,
Quando, ſitúſque, habitúſq; , ad quæ revocabitur omne.

Quinto. Sunt verò quædam extra prædicamenta, ut *voces ex pluribus compoſitæ, non ſignificantia niſi alteri juncta, Entia rationis, multa ſignificans, termini ſecundæ intentionis, infinita actu, tranſcendentia, carentiæ, partes,* & exprimuntur his Verſibus:

Conceptum, conſignificans, fictum, polyſemum,
Vox Logicæ, DEUS, excedens, privatio, parſque.

Sexto. Ad finem libri apponit *Ariſtoteles* quædam prædicamenta multis prædicamentis communia, quæ *Poſtprædicamenta* appellantur. ut, *eſſe oppoſita, eſſe priùs, eſſe poſteriùs, eſſe ſimul, moveri* aliquâ ſpecie motûs.

Et hæc ſunt, quæ Ariſtoteles de *prædicamentis* habet. Quibus ſanè nihil utilius ad deſcribendum, & ad diſcurrendum. Cùm autem hoc ipſum pauculis oſtenſurus ſim *Parte ultimâ* in diverſis *Articulis*, explanemus pauculis hîc 10. *terminos* univerſales.

ARTICULUS II.

Adminicula ad Ariſtotelis Prædicamenta pro praxi pernoſcenda.

OMnino neceſſarium eſt, ſi quis prædicamentis his uti velit ad diſcurrendum de omni re propoſita, ut noſcat perbellè, in quonam prædicamento res illa ſit, & conſequenter, ut ejus Genus & ſpecies intelligat. v. g. *Diſcurrendum eſt illi de virtute. Sciendum ergo, quòd virtus ſit in prædicamento Qualitatis, & ipſius ſpecies prudentia, Iuſtitia, &c.* Nota igitur in hunc finem paucula, quæ ſequuntur.

Primò : Subſtantia. In hoc prædicamento ſunt hæc novem : *DEUS* (quamvìs valde impropriè, ut ex dictis patet) *Angeli*, *Cœli*, *Elementa*, *Meteora*, *Mineralia*, *Plantæ*, *animalia irrationalia*, *Homo.* quæ parte 7. ar. 7. explicabuntur,

Secundò. Quantitas. In hoc prædicamento eſt rerum magnitudo, longum, latum, profundum, linea, ſuperficies, corpus, intenſum, extenſum, &c. *Item* rerum multitudo per *quot*, ordinata per *quotus*, multiplicata per *quotuplex*, diſtributa per *quoties*. Verbô *omnis quantitas* continua, & permanens, & ſucceſſiva: omnis diſcreta, & numerus par, & impar. *Item* omne, quod

quod menſurat, liquida, arida, pondus intervalla, ſonos & ſyllabas.

Tertiò. Qualitas. In hoc Prædicamento continentur. 1. omnes *diſpoſitiones*, & *habitus*, infuſi, acquiſiti, *morales* in voluntate, *Intellectuales* in Intellectu, omnes virtutes & vitia, &c. 2. *omnes potentiæ* & facultates naturales, ùt potentia Intellectiva, volitiva, vegetativa, ſenſitiva, &c. 3. *omnes qualitates pasſibiles*, quæ immutant ſenſum; undecim *pasſiones* animi, & plures corporis; qualitates primæ, & ſecundæ, &c. omnia Objecta ſenſuum, ùt *color, ſonus, odor, ſapor, &c.* 4. *omnes figuræ*, rectæ, curvæ, circulares, &c triangulares, quadrangulares, &c.

Quartò. Relatio. In hoc prædicamento ſunt omnes comparationes, omnes reſpectus, omnes paritates, ſimilitudines, diſſimilitudines, æqualitates, &c.

Quintò. Ad actionem & paſſionem revocantur omnia conſilia, dicta, facta, omnes actiones, functiones ſeu operationes rerum, quæ ſunt motus activus ex agente in patiens, uti paſſio eſt motus in patiente impreſſus à Cauſa efficiente. Et utraque dividitur vel *ratione Principij*, vel *objecti*, vel *termini*.

Sextò. Ad *Ubi* revocantur omnia, quæ ad *locum* pertinent: *Intus, foris, ſurſum, deorſum, ſiniſtrorſum, antrorſum, retrorſum &c.*

Septimo. Ad *quando.* quidquid ad tempus: *horæ, anni ſecula &c. heri, hodie, manè, veſperi &c.*

Octavò. Ad *Situm.* in quonam poſitu res ſit? an ſedeat? an ſtet? an cubet?

Nono, *Ad habere* reducitur, quidquid ſpectat veſtitum & ornatum v. g. mitratum eſſe, gladiatum, palliatum, cataphr..ct..m, &c.

Et hæc de Prædicamentis, quorum uſum, ſi tibi familiarem feceris, certè de quacunque re propoſita in infinitum diſſerere poteris, præſertim, ſi artem combinatoriam adhibeas, & quidquid ex uno prædicamento ſumis, iterum cum alijs ſingulis, binis, aut ternis conferas, &c.

ARTICULUS III

Ars Generalis inveniendi medium ad quamcunque datam propoſitionem aut probandam aut oppugnandam.

PRimò, Totam hanc Artem reducit Ariſtoteles ad tres terminos: *Antecedentem, conſequentem, repugnantem. 1. prior.* Quid autem *Antecedens*; ille qui alterum infert, ut *homo* reſpectu *rationalis*: infero enim bene: *eſt homo, Ergo rationalis.* Quid *conſequens*, ille, qui ex altero infertur. ut *animal* reſpectu *hominis*: *Eſt homo. Ergo animal.* Quid *repugnans?* ille, qui alteri convenire non poteſt. ut *lapis* reſpectu *hominis.* Quis enim dicat verum eſſe: *homo* eſt *lapis.*

Secundo. Per *Combinationem Antecedentis, Conſequentis, & Repugnantis Subiecto ac prædicato,* tradit Ariſtoteles 7. *Regulas* inveniendi medium terminum. Duæ ultimæ ſunt de tribus combinationibus inutilibus, quinque de utilibus. Et has quinque in 4. *Regulis* exprimo quàm breviſſimè, ut ſequitur.

Tertio

Tertio. Vel propoſitio data eſt Univerſalis *affirmativa*, vel particularis *affirmativa*, *vel* univerſalis *negativa*, vel particularis *negativa*.

Regula I. pro affirmativa univerſali. *Medius terminus ſit Antecedens ad prædicatum & conſequens ad ſubjectum.* Sit hæc propoſitio. *omnis homo eſt vivens.* Medium terminum accipio *animal*; quia animal eſt Antecedens ad *vivens &* conſequens *ad hominem.* Dico igitur : *omne animal eſt vivens ſed omnis homo eſt animal. Ergo omnis homo eſt vivens.*

Regula II. Pro affirmativa particulari. *Medius terminus ſit antecedens ad ſubjectum & prædicatum* v. G. probanda eſt hæc propoſitio: *aliquod animal eſt intellectuale.* Accipio ly *homo* pro medio & dico in Darapti: *Omnis homo eſt animal Sed omnis homo eſt intellectualis. Ergo aliquod animal eſt intellectuale.* In quo Syllogiſmo ſi *minorem* convertam converſione per accidens, tunc erit Syllogiſmus in Darij.

Regula III. pro negativa univerſali. *Medius terminus ſit aut repugnans ſubjecto & conſequens ad prædicatum, aut repugnans prædicato, & conſequens ad ſubjectum. Exemplum pro* 1. Sit hæc propoſitio probanda; *nullus homo eſt equus.* Accipio pro medio termino ly *irrationale*, & dico: *omnis equus eſt irrationalis. Sed nullus homo eſt irrationalis. Ergo nullus homo eſt equus.* Quod eſt in *Cameſtres.*

Exemplum 2. Sit eadem propoſitio probanda: *Nullus homo eſt equus.* Accipio pro medio ly *Intellectualis* & dico; *nullus equus eſt intellectualis.*

lis. Sed omnis homo eſt intellectualis. Ergo nullus homo eſt equus. Quod eſt in *Ceſare.* Si vis eundem Syllogiſmum in *Celarent*, converte Majorem.

Regula IV. Pro negativa particulari. *Medius terminus ſit Antecedens ad ſubjectum, & repugnans prædicato.* V. G. ſit hæc propoſitio probanda: *Aliquod animal non eſt Intellectuale.* Accipio pro medio ly *equus* & dico: *Nullus equus eſt intellectualis. Sed omnis equus eſt animal. Ergo aliquod animal non eſt intellectuale.* Quod eſt in *Felapto.* Converte per accidens *minorem*, & erit in *Ferio.*

Quarto. Nota bene. Si exercere te vis in hac Arte Ariſtotelis, ut ad quamcunque quæſtionem reſpondere poſſis & expeditè? 1. Tenendum eſt tibi recenti memoriâ: quid ſit *Antecedens*? quid *conſequens*? quid *repugnans*? 2. Propoſitâ quæſtione inquirendum ſubitò in terminum *Antecedentem*, *Conſequentem* & *repugnantem* tum prædicati, tum ſubjecti: & offerent ſe media decem pro uno. Si 3. artem inſuper *combinatoriam* applicueris, ſanè miras hâc arte demonſtrationes novas in omni materia facilè detexeris.

ARTICULUS IV.

Hujus Artis neceſſitas & Univerſalitas.

Poſtquam Ariſtoteles has Regulas inveniendi medium tradidit, oſtendit, quàm neceſſariæ ſint, ac omnibus Diſciplinis communes. Igitur

Primo.

Primò. Sunt ità neceſſariæ, ut nulla concluſio fieri poſſit, niſi per medium, de quo prædictæ Regulæ verificentur. *Prob. ab Ariſtotele ſic:* quia omnis Syllogiſmus inferens quamcunque Concluſionem diſponi debet in aliqua ex tribus figuris. Atqui ad hoc requiritur neceſſariò, ut medium ſecundùm prædictas Regulas diſponatur: medium enim prædicatur vel ſubijcitur, affirmatur vel negatur univerſaliter, aut particulariter, & conſequenter vel debet ſe habere, ùt *Antecedens*, vel ùt *Conſequens*, vel ùt *repugnans* reſpectu duorum Extremorum. Ergo

Secundò. Hæc ars communis eſt omnibus facultatibus concluſiones ex aliquibus Principiis probantibus. *Prob. ab Ariſtotele ſic:* Poſito, quòd Profeſſores talium Facultatum habeant copiam Principiorum, & concluſionum probandarum, poſſunt per traditam Artem invenire, per quod medium & per quæ Principia probandæ ſint Concluſiones Singulæ, conſtruendo Syllogiſmos ex tribus terminis, ſic & ſic ſe habentibus. Per hanc etiam Artem poſſunt determinare, quod medium ſit aſſumendũ ad evertendum & impugnandum; quod medium ad conſtruendum & probandum; & quæ ad demonſtrandum debeant ſumi Principia vera & certa; ad probabiliter autem concludendum Principia probabilia & recepta.

Tertiò. Addit Ariſtoteles quærendum eſſe in ſingulis materiis medium inter Principia illarum propria. Sunt autem multa Scientiarum principia propria, quæ Profeſſores earundem pernorunt. v. g. *Aſtrologiæ Principia* ſtabilita ſunt longâ experien-

tiâ & obſervatione, ſuntque nota peritis Aſtronomis, ex iiſque deſumi debet medium ad probandas Concluſiones Aſtrologicas. *Idem* dicendum de Principiis Facultatum aliarum. *Igitur* poſito, quòd quis jam teneat Principia rerum propria, poteſt per artem traditam ex iis demonſtrationes concludere, eliciendo media principiaque ad concluſiones proprias juxta traditas Regulas. Poterit *inſuper* ſtatim advertere, quænam concluſiones ſint indemonſtrabiles ex eo, quòd non adſint Principia ad illas concludendas neceſſaria.

ARTICULUS V.

Ars Dialectica Ariſtotelica planè ac breviter, novóque ordine proponitur.

PRimo. *Dialectica* à διαλέγεσθαι, quod latinè ſonat *differere*, ſive *diſputare*, & *Ars Syllogizandi de quocunque propoſito Problemate, in utramque partem, atque utram libet Partem defendendi.* Cùm autem ex duabus partibus Problematis, utpotè contradictoriè oppoſitis, neceſſariò altera ſit falſa, & falſum ex *veris* defendi non poſſit, ſed ſolùm *ex probabilibus*, ideo *hæc Ars* tantùm *ex probabilibus* procedit de omni re propoſita differendo.

Secundo. Ariſtoteles hanc Artem 8. *libris Topicorum* complectitur, & plurima de *locis Argumentorum* tradit. Sed in hac materia ferme ab omnibus improbatur ùt obſcurus, & in quo multa deſiderentur. Unde etiam dicuntur perpauci ex hujus Artis lectione hactenus didiciſſe de quacunque re propoſita, nullâ arte aliâ adjuti, differere. Quocirca complures conati ſunt univerſos *Artis hujus Ariſtotelicæ* libros aliter ordinare ùt *Ramus*,

Agricola &c. Sed poſt omnes ordines, adhuc ordo videtur deſiderari.

Tertio. Univerſus *Artis hujus Ariſtotelicæ* ambitus abſolvitur quadruplici problemate, ſcilicet: *problemate definitionis, proprij, accidentis, generis.* Problema autem *differentiæ* reducitur ad problema *generis, comparationum* ad *accidentis*; cetera, in quibus quæritur: *utrum aliquid ſit idem, an diverſum?* ad Problema *definitionis.* Quod autem *locos* attinet ſervientes his Problematibus, proponit *Ariſtoteles* pro *Problemate accidentis* 42. locos & ſubnectit 63. locos *comparationum.* Pro *Problemate* generis locos 75. Pro Problemate *proprii* loco s24. Denique pro *Problemate definitionis* locos 67. *Subnectit* demum complures locos deſervientes *Problemati de eodem & diverſo.* Demum *l.* 8. docet ordinatè interrogare & reſpondere, *hoc eſt*, diſponere argumenta per locos inventa.

Quarto. Ex dictis colligere potes in libris *hujus Artis* eſſe magnum chaos locorum. Quare totam hanc chaoticam maſſam in novum ordinem redactam apud quendam induſtrium *Recentiorem* non ità pridem inveni, ùt ſequitur.

Loci vel ipſi rei ſunt *extrinſeci*, vel *intrinſeci.* Si *extrinſeci*? ſunt tantum tres: *Etymologia, Conjugata, Autoritas.* Si *intrinſeci* & in ipſa re quocunque tandem modo? vel ſunt ante rem, vel in re, vel cum re, vel poſt rem.

Si ſunt *ante rem*? ſunt *efficiens, finis, Generatio, omniſque procedens diſpoſitio.*

Si ſunt *in re*? ſunt *genus, differentia, materia & forma, definitio, conſervatio.*

Si

Si ſunt *cum re*? ſunt *tempus, locus & ſubjectum.* Accedit omnis *ſimilitudo* & *diſſimilitudo*.

Si denique ſunt *poſt rem*? ſunt *proprietates, accidentia, effectus opera, uſus & corruptio, diviſio.*

Hoc modo penitus omnia comprehendi ait, ſi *accidentia* ordine prædicamentorum diponantur. Ego præ manibus alium ordinem habeo, ſed ob denſas occupationes nondum perfectum. Exemplum modumq; de omni materia diſcurrendi horum locorum ope dabo in *Parte ultima.* Interim hoc loco, quæ dixi, ſufficientia ſunto.

PARS SEXTA.

Ars Univerſalis Sciendi & differendi Lulliana.

POſt Ariſtotelem, *invenit* Artem aliam Sciendi *Raymundus* Lullus. *Hic enim ſecularis cùm eſſet & conjugatus, in Eremum pœnitentiæ causâ ſeceſſit, & ut habet Nicolaus* Cauſinus *in ejus vita ſtylô terſiſſimo conſcripta, vitam ab omni humano conſortio remotam egit. Ibidem Methodum quandum univerſalem ſciendi, differendiq; compoſuit, quam* Artem Magnam *appellavit. Et hæc* Lulliſtis, *ut vocant, tam utilis & efficax ad omnes Scientias comparandas viſa eſt, ut nomen* Artis mirabilis *acquiſiverit De qua ſubnecto ſequentia.*

ARTICULUS I.

Artis Lullianæ Synopſis.

CUm *Lullus* videret ad differendum opus eſſe primò *Quæſtionibus* intellectum ad diſcurſum provocantibus, deinde *ſubjectis* & *prædicatis*, tertio *mediis terminis*, per quos prædicata ſubjectis

al

vel ineſſe, vel repugnare oſtendantur; hæc omnia novem Alphabeti literis complexus eſt. Et harum quævis ſextuplicem habet ſignificationum, ut ſequitur:

B.	ſignificat	*Bonitatem, differentiam, utrum, Deum, Iuſtitiā, Avaritiam.*
C.		*Magnitudinem, Concordantiam, quid Angelū, Prudentiam, Gulam.*
D.		*Durationem, Contrarietatem, de quo, Cœlum, fortitudinem, Luxuriā.*
E.		*Poteſtatem,* Principium, *quare, hominem, temperantiam, Superbiam.*
F.		*Sapientiam, medium, quātum, Imaginativum, fidem, acediam.*
G.		*Voluntatem, finem, quale, Senſitivum, ſpem, invidiam.*
H.		*Virtutem, majoritatem, quando, Vegetativum, charitatem, iram.*
I.	ſignificat.	*Veritatem, æqualitatem, ubi, Elementativum, Patientiam, mendacium.*
K.		*Gloriam,* Minoritatem, *quomodo, Inſtrumentativum,* Pietatem, *inconſtantiam.*

Nota

Nota I. Ex his terminis novem *primô* locô, ſcilicet *bonitatem*. *magnitudinem*, *&c* à Lullo dici *principia abſoluta*. Novem *ſecundô* locô ſcilicet *differentiam*, *concordantiam*, *&c.* *principia reſpectiva.* Novem *tertiô* locô ſcilicet *utrum*, *quid*, *&c*, *Quaſtiones & Artis Regulas.* Novem verò *quartô*, *quintô* & *ſextô* locô vocari *ſubjecta.*

Nota II. *Lullum* ad 9. Alphabeti characteres, velut ad quædam ſigna rerum aſſumptarum, omne ſcibile revocare, prætermiſſa literâ A, quod hæc ſit nota optimi Maximi DEI.

Nota III. *Lullum* de cetero in univerſo ſuo opere non agere propemodum aliud, quam hos ipſos terminos explicare, & eos per varias tum figuras, tum tabulas ad hibitis ſolis his 9. Alphabeti literis inter ſe combinare.

ARTICULUS II.

Praxis & defectus Artis Lullianæ.

QVid dicemus de praxi? tam intricata eſt, ut ante Kircherum à nullo fuerit extricata. Quare ſolos hìc defectus dabimus, quorum aliquos notat Izquierdo, Kircherus aliquos, aliquos nos ipſi. Sequenti *Parte*, emendatis in hac defectibus, daturi ſumus effectus,

Defectus primus. per unam literam, ut vidimus, plura ſignificat *Lullus* v. G. per B. *bonitatem*, *differentiam*, *utrum*, *&c.* eáque omnia, quæ ad hos terminos reduci poſſunt. Et nunquid hoc ipſum Chaoticam parit confuſionem?

Defectus II. Imaginatione, memoriaque Divinâ videtur opus eſſe, ut eorum ſingula, quorum unaquæque litera ſignum eſt, probè memorem, & tot

tot figurarum ac cyclorum converſiones, centumq formarum poſitiones impreſſas menti perfectè teneam. Quamobrem [ipſe] *Lullus* ſubtiliſſimum ad hoc ingenium, tenaciſſimámque memoriam requiri fatetur, ut cum tot reflexionibus mentis quis promptè de quocunque themate diſſerere diſcat.

Defectus III. Continentur quidem in terminis Lullianis omnia implicitè & virtute, nihilominus *ἀδυνατόν* exiſtimârim, in *hac Arte* quidquam laudabile præſtari poſſe ad eruderandas veritates *ſpecialiores* Scientiarum, niſi quis jam ante in Scientiis Theoreticis eximiè verſatus eſſet. Regulas enim ſuas *Lullus* circa terminos univerſaliſſimos conſtituit.

Defectus IV. Ars *Lulliana* non demonſtrat, quot ſint combinationes, ſeu conjunctiones poſſibiles ex terminis datis, & quomodo illæ adæquatè confici & percurri poſſint.

Defectus V. Non agit de quaternariis, nec de quinariis combinandis, &c. & inſuper per multas Regulas confusè tradit id ipſum, quod per unicam apertè, & inconfusè tradi poteſt.

Defectus VI. Non reijcit, aut ſaltem non eo modo, quo par eſſet, combinationes inutiles.

Defectus VII. Eſt ſtylus barbarus & obſcurus, quem ſi ſubintres, videris tibi Labyrinthum inextricabilem ſubijſſe.

PARS SEPTIMA.

Ars Univerſalis Sciendi ac differendi, Lulliano-Kircheriana,

Cum

Cum Ars Lulliana *umbras inter eremi nata tantum obſcuritatem contraxiſſet, ut etiam præluſtria ceteroquin ingenia vim ejus intercernere nequirent, ideo cùm multorum Virorum in omni genere literaturæ illuſtriſſimorum, tum maximorum Principum, præſertim* Ferdinandi III *Cæſaris Sapientiſſimi deſiderio ſtimulatus* Kircherus *illas* Lulli *tenebras in tantum illuminavit, & illuminatas in lucem dedit, ut artem ipſam omnino ſuam feciſſe videatur. Prægrandis quidem Tomus eſt, quem ſuper hac edidit, nihilominus & hanc Iliadem includere conabimur in nuce.*

ARTICULUS I.

Totius Artis Fundamenta.

Kircherus, ut non miſceret omnia novem literis Alphabeti cum *Lullo*, nova compoſuit Artis Alphabeta, ùt ſequitur.

Alphabetum I. In hoc ponuntur 9. quæſtiones: *An, quid, cur, quantum, qui, quale, ubi, quando, quibuſcum.* Et ab his ſumit initium omnis propoſitio: Nec poteſt aliquid ab intellectu concipi, niſi priùs ab harum aliqua ad veritatem cognoſcendam moveatur.

Alphabetum II. In hoc ponuntur 9. *Principia abſoluta: Bonitas, magnitudo, Duratio, Potentia, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria.* Et hæc brevitatis causâ per literas ſuas initiales ità ſignantur. B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.

Alphabetum III. In hoc ponuntur 9. *Principia reſpectiva: Differentia, concordantia, contrarietas,* Principium, Medium, *finis,* Majoritas, *æqualitas, minoritas.* Et hæc brevitatis causâ ſe-

quentibus ſignis notantur: ≡ ♡ ŏo ∝ ⊙ ω Ma. Æ. Mi.

Alphabetum IV. In hoc ponuntur 9. *Subjecta univerſalia: DEUS, Angelus, Cœlum, Elementa, homo, animalia, plantæ, mineralia, inſtrumentalia ſive materialia.* Et hæc brevitatis causâ ſignantur etiam peculiaribus notis. ùt: pro *DEO* ponitur Delta Græcum, pro *Angelo* caput alatum, pro *Cœlo* circuli tres ſeinvicem circumdantes, pro *Elementis* quadratum, pro *homine* maſculus, pro *animalibus* quadrupes, pro *plantis* arbuſcula, pro *mineralibus* lapis, pro *Inſtrumentalibus* 9. puncta ſicut in aleis per tres lineas rectas diſpoſita.

Notandum autem circa ultimum *Alphabetum 9. Subjectorum*, hoc quidem ſufficere, cùm omnia ibi contineantur, etiam *Virtutes & vitia*, nimirum inter Inſtrumentalia, per quæ intelliguntur omnia *accidentia*, quorum unum etiam *qualitas* eſt, ſub qua continentur virtutes & vitia. Nihilominus in multis locis addit adhuc duplex Alphabetum.

Alphabetum Virtutum. *Juſtitia, prudentia, fortitudo, temperantia, fides, Spes, Charitas, Patientia, Pietas.*

Alphabetum Vitiorum. *Avaritia, Gula, Luxuria, acedia, invidia, ira, mendacium, inconſtantia.*

Et in his Alphabetis omnis humanæ cognitionis contineri Summam oſtendit, hæc omnia

ubertim explicando, & ad ea, quidquid in univerſo Scientiarum ambitu continetur, reducendo, & eorum uſum *παραδιγματικῶς* exhibendo.

ARTICULUS II.

Quæſtiones 9. breviter explicantur.

PRima Quæſtio: *An?* vel *utrum?* An illud, de quo diſcurrere volo, *ſimpliciter* ſit? an *conditionaliter?* an *per ſe*, an in *alio ſubjecto?* an ſit *per compoſitionem partium?* an *per additionem?* an ſit *poſſibiliter?* an *impoſſibiliter?* an *neceſſariò*, an *contingenter?*

Secunda Quæſtio: *Quid?* ſeu *quis*; *quæ*, *quod* hâc quæſtione *definitionem rei* volo, poſtquam per primam Quæſtionem cognoſco rem propoſitam eſſe. Quæritur: *quid res illa in ſe ſit*, *quid in alio*? *quid in ſe formaliter*, hoc eſt, *per formam*? *quid in ſe eſſentialiter ratione ſui eſſe*, *vel cum alio? quid agat*, *quid patiatur*? quid *ſit compoſitivè*? hoc eſt, quam habeat mixtionem materiæ & formæ? *Quid ſit eminenter reſpectu entium mundi? quid virtualiter in eſſe reali*, *vel in eſſe cognito? quid potentialiter reſpectu actuum & objectorum? quid unitivè reſpectu generationis? quid identicè reſpectu ſpeciei? quid ſit per dominium ratione rerum ſibi ſubditarum? quid per influxum ratione Cœli & aſtrorum? quid per mixtionem ratione Elementorum? quid per modum perficientis ſubſtantialiter vel accidentaliter?*

Tertia Quæſtio: *Cur?* ſeu *quare?* inquiritur rei propoſitæ *Cauſa finalis, motiva, impellens, formalis, materialis, efficiens.*

Quarta Quæſtio: *quantum?* quæritur *quantitas abſoluta, comparativa, continua, diſcreta, intenſiva, extenſiva, longa, lata, profunda, multa* per quot, *ordinata* per quotus, *multiplicata* per quotuplex, *diſtributa* per quoties.

Quinta Quæſtio: *Qui?* ſeu *quomodo?* quæritur, quot diverſis modis res propoſita ſit in alio? an 1. *ut genus in ſpecie?* 2. *ut ſpecies in individuo?* 3. *ut Individuum in ſpecie?* 4. *ut pars in toto integrali?* 5. *ut totum in partibus?* 6. *ut accidens in ſubjecto?* 7. *ut forma in materia?* 8. *ut in cauſa efficiente?* 9. *ut in cauſa formali?* 10. *ut in loco?* 11. *ut in tempore?* 12. *ut in vaſe?* 13. *ut in Gubernatore?* 14. *ut ſecundum quandam præcellentiam?* 15. *ut in commixtione?* 16. *ut cognitum in cognoſcente?* 17. *ut pictor in pictura?* 18. *ut æquivocum vel ut analogum in analogato?*

Sexta Quæſtio: *quale?* quæruntur rei propoſitæ qualitates, *ſubſtantiales, accidentales, morales.* 1. *quale* ſit *intrinſecè & eſſentialiter?* per omnes eas qualitates, quæ eſſentiam rei concernunt. 2. *quale ſit, in quantum accidentibus ſubjectum eſt?* 3. *quale ſit, quoad actionem & paſſionem?* 4. *qualem reſpectum dicat ad alia?* ſingulas qualitates cum ſingulis comparando. 5. *quale ſit in loco, tempore, ſitu, habitu?* 6. *quale ſit moraliter in virtutibus & vitiis?*

Septima Quæſtio: *Ubi?* quæritur rei propoſitæ *localitas.* 1 *ubi res ſit? Reſp* per definitionen loci. 2. *quantum ubi habeat? Reſp.* per localitatem vel immenſurativam vel definitivam vel circumſcriptivam 3. *quale ubi habeat; Reſp. per figuras locantis & locati.* 4. quàm diu duret in loco?

Octava Quæſtio: *quando?* quæritur *duratio* rei ſecundùm ejus permanentiam, vel *æterna* vel *æviterna* vel *temporalis.* 1. *quando ſit aut fuerit? Reſp.* per annos, menſes, &c. 2. *quanto tempore permanſerit in tali ſtatu?* 3. *Sub quali conditione temporis fuerit aut ſit? Reſp.* felici vel infelici, ſub tali Rege vel tali, &c.

Nona Quæſtio: *Quibuſcum?* ſeu *cum quo?* quæritur *Inſtrumentum*, cum quo propoſita res agat? & quidem *naturale*, *morale*, *artificiale*,

ARTICULUS. III.

Principia abſoluta explanantur.

QUidquid de aliqua re dici poteſt, reducitur ad *eſſe*, *agere*, *perfici*. Ad *eſſe* ſpectat prima trias principiorum: *bonitas magnitudo*, *duratio.* Ad *agere* ſpectat altera trias: *potentia*, *Sapientia voluntas.* Ad *perfici* ſpectat ultima trias: *Virtus*, *Veritas*, *Gloria*, ùt patebit ex ſingulorum deſcriptione.

Primum Principium eſt *B. bonitas.* Per hanc intelligitur id, ratione cujus res propoſita eſt bona, ſive ipſum *eſſe rei*, quia non eſſe malum eſt. *Bonitas generalisſimè* alia eſt *increata*, quæ eſt abſo-

abſolutiſſima & ſimpliciter & prima, Deus. Alia *creata*, quæ eſt participata à prima Bonitate. *Iterum creata* eſt duplex: alia *entitativa*, quæ ſub ſe comprehendit omne id, quod quovis modo actu eſt: & alia *moralis*. vel: alia *ſubſtantialis*, quæ eſt idem cum *entitativa*, & alia *accidentalis*, ad quam ſpectant omnia accidentia rei, à quibus res, quæ actu eſt bona, determinatur.

Bonitas magis in particulari aliter dividitur: alia enim ſunt *bona finis*, alia *bona propter finem*, alia *bona neceſſaria*, ut vita, prudentia, Parentes, & *non neceſſaria*, ut honor, commoda, &c Alia *bona corporis*, alia *bona animi*. Alia *bona fortunæ*.

Secundum principium eſt M. *Magnitudo*. Per hanc intelligitur *intenſio & extenſio ipſius eſſe* ſive *bonitatis* & *perfectionis* cuiuslibet rei. Dividitur, *ut bonitas*.

Tertium Principium D. *Duratio*. Per hanc intelligitur *permanentia rei in ſuo eſſe & magnitudine ſuæ bonitatis*: nam magnitudinis finis eſt ſe conſervare. Et alia eſt *æterna* Dei, Alia *æviterna* Angelorum, animarum, &c. alia *temporalis*, generabilium, & corruptibilium.

Quartum Principium P. *Potentia*. Per hanc intelligitur id, quo res omnis ad agendum apta eſt. Alia eſt *increata*, & alia *creata* ſive finita. *Iterum*; *creata* alia eſt *naturalis*, alia *præternaturalis*, alia *politica & moralis*.

Quintum Principium S. *Sapientia.* per hanc intelligitur *id, quo unuſquiſque cognoſcit ea, quæ ad conſervationem ſui ſunt neceſſaria.* Alia eſt *increata*, alia *creata*. *Creata* eſt: Alia *Intellectualis*, quæ competit Angelis ſinè diſcurſu, ùt & infuſa. Alia rationalis, ſub qua omnes Scientiæ & artes comprehenduntur. Alia *æſtimativa, ſenſualis, phantaſtica*, quæ naſcitur ex ſenſibus. Alia *inſtinctiva*, propria brutorum, & *ſuo modo* plantarum, & rerum etiam inanimatarum ob ſympathias & antipathias cauſata, & eſt quidam quaſi impetus ad agendum.

Sextum Principium V. *Voluntas.* Per hanc intelligitur omnis *appetitus*, ut paſſim vocamus, *electus* & omnis *appetitus innatus*; cujuſcunque rei. Denique *appetitus*, ſinè quo nihil eſt amabile nihil deſiderabile, nihil odibile.

Septimum Principium Vi. *Virtus.* Sinè hac omnes res vitioſæ forent. Eſt vis benefica rerum bonitate affectarum, & ratio, cur bonum, magnum, durabile &c. vigoroſum ſit & viribus ad operandum neceſſarijs polleat.

Alia eſt *Spiritualis & quintuplex* : *Superintellectualis*, hoceſt, DEI: *Intellectualis*, ut Scientia, prudentia, &c. *rationalis*, ut Juſtitia, fortitudo, &c. *moralis*, quæ ſpectat ad mores formandos. *Theologica*, ut fides, &c. Alia *corporibus inſita & etiam quintuplex : Cæleſtis*, ut omnes aſtrorum influxus. *Elementaris*, ut calefactiva, ſiccativa, &c. *Animalis, Vegetalis, mineralis.*

Octavum Principium Ve. *Veritas.* per hanc intelligitur ratio, *quâ omnia vera ſunt*, & ſinè qua omnia falſa forent. Alia *increata*, *alia creata*. *Creata* triplex: *Veritas rei* in eſſentia, moribus, actionibus. *Veritas Intellectualis*, conformitas rei ad Intellectum. *Veritas orationis*, conformitas ad locutionem.

Nonum Principium G. *Gloria.* Per hanc intelligitur ratio, *per quam omnia ſuo modo glorioſa ſunt*, hoc eſt, *per quam omnia fine & quiete ſuâ gaudent*, Eſt autem *gloria* duplex. Alia *increata* ſive ultimus finis, DEUS. Alia *creata* & eſt finitio boni, quâ unuſquiſque quieſcit v. G. lapis in centro, minerale in appropriata fodina, arbor in fructificatione, planta in ſemine, floribus, foliis, &c. Demum *gloria creata* alia eſt *vera*, alia *falſa*.

ARTICULUS IV.

Principia Reſpectiva declarantur.

PRimum Principium = *Differentia.* Per hanc omnes differentiæ ſignificantur, & ſinè hac omnia eſſen tunum & indiſtincta. Per hanc *bonitas* à *magnitudine*, *duratione*, & cetera omnia, quæ ad ea revocantur, diſtinguuntur. Eſt autem generaliſſimè *triplex differentia*: *Alia* inter corporeum & corporeum, *alia* inter corporeum & Intellectuale, *alia* inter intellectuale & intellectuale.

Huc etiam ſpectant omnes termini diſtinctionum, quos in *Summulis* Profeſſores tradere con-

conſueverunt. Huc etiam ſpectat omnis rerum *diviſio*, de qua multa *in ultimis Articulis Partis* VIII. vide item *Schema* ſequens.

Secundum Principium ♈. *Concordantia.* Sinè hac omnia eſſent diſcordia, diſſoluta, inconvenientia. quod dici non poteſt, cùm nihil in tota ſit rerum natura, quod non cum aliquo in aliquo concordet. Concordantia verò incedit contrariâ viâ ad differentiam. *Vide Schema.*

Schema Diviſionis.	*Schema concordantiæ.*
dividuntur.	concordant.
Genus in ſpecies.	*Species in genere.*
Species in Individua.	*Individua in Specie.*
Totum in partes.	*Partes in toto.*
Subſtantia in potentias.	*Potentiæ in ſubſtantia.*
Mixtum in Simplicia.	*Simplicia in mixto.*
Cauſa in effectus.	*Effectus in Cauſa.*
Subjectum in accidentia.	*Accidentia in ſubjecto.*
Virtus in operationes.	*Operationes in virtute.*
Compoſitum in ſimplicia.	*Simplicia in compoſito.*

Tertium Principium ☍ *Oppoſitio ſeu contrarietas.* Dialectici ponunt 4. *genera oppoſitorum*; hìc autem intelliguntur omnia ea, quæ quovis modo contra ſe, aut contra naturam intellectumvem ſtatuuntur. Qui ſciverit *arte oppoſitorum*, per quandam *analogiam* omnia oppoſita *ad duo* revocabit; perfecta *ad lucem*, minùs perfecta *ad tenebras*. Vide *Schema* Oppoſitionum.

Per-

Perfecta, imperfecta,	*Pefecta, imperfecta,*
Lux, tenebræ.	*Veritas, falſitas.*
Actus, potentia,	*Albedo, nigredo.*
Forma, materia.	*Unitas, diviſio.*
Dies, nox.	*Popinquitas, diſtantia.*

Quartum Principium α. *Principium.* Hic intelliguntur omnes cauſæ, & omne id, à quo aliquid oritur.

Quintum Principium ☉. *Medium.* Eſt via ad finem. Sine hoc non daretur ulla conjunctio, nec ullus nexus. Eſt nimirum *medium* id, per quod finis in Principium, & Principium in finem influit. *Huc revocatur* omne id, quod eſt medium, quomodocunque tandem, inter duo extrema v. G. *medium* ſupernaturale: *Chriſtus DEUM inter & hominem.* *Medium* in moralibus: *liberalitas inter avaritiam & prodigalitatem, &c,* *Medium* Logicum; *medius terminus, &c. &c.*

Sextum Principium ω. *Finis. Eſt id, in quo principium quieſcit.* Alius autem eſt *Finis perfectionis,* ùt humanæ vitæ beatitudo. Alius *eſt terminationis,* hoc eſt, quies adepta in loco naturali. Alius eſt *finis privationis*, hoc eſt, destructio rerum, ùt vitæ finis eſt mors. Alius eſt *finis intentionis,* hoc eſt, id, ad quod quidpiam dirigitur.

Septimum Principium Ma. *Majoritas. Sine hac omnia eſſent æqualia.* Alia eſt *ſubſtantialis,* alia *accidentalis, Ens* majus eſt *non Ente*; quia melius eſt *Eſſe*, quàm *non eſſe.* Major *eſſentia*, quàm *proprietas, &c.*

Octavum Principium Æ. *Æqualitas, Sinè hac nihil eſſet æquale.* Huc revocantur omnia, quæ quomodocunque ſunt æqualia. Alia æqualitas eſt *ſubſtantialis* in perfectionibus ſubſtantialibus, Alia *accidentalis* in accidentibus quibuſcunque.

Nonum Principium Min. *Minoritas, Sinè hac nihil eſſet minus altero*, nulla privatio, nullum malum aut imperfectum. Huc revocantur omnes defectus. Et quot modis dicitur *Ma*, tot modis *Min.*

ARTICULUS V.

De Terminis reducibilibus ad Principia abſoluta.

PRæter adductos *hujus Artis* terminos adhuc alios adducit *Kircherus*, quos vocat *reducibiles* quorum quidem multos doctiſſimè congeſſit, ſed eos ad certum numerum non reduxit. Quo habito demum *Artem* Lulli *mirabilem* aut perfectam, aut perfectioni proximam fore mihi perſuaderem.

De *reducibilibus* ad hanc Artem ſummè neceſſariis *Nota ſequentia oppoſita.* Ego quidem brevitatis ergô ponam in quavis litera duo oppoſita. v. G. in B. *acceptabile - repudiandum. commodum-incommodum. poſt hæc ponam* tantùm *unum* oppoſitorum, tu adde *alterum* v. G. ego ponam *deſiderabile*, tu adde: *abominandum*. ad idem enim Principium v. G. *bonitatis* non tantùm revocatur *unum*, ſed & *alterum*, oppoſitorum.

Item

Item *nota*, quòd omnia, quæ ſunt revocabilia ad unum Principium, etiam revocari poſſint ad alia omnia, cùm omnia ſint convertibilia v. G. cùm omne B. ſit M. & P. & S. &c. ergo cùm omne B. ſit *acceptabile*, etiam omne *M.* omne *P.* &c. erit *acceptabile.*

Ad B. revocantur *acceptabile-Repudiandum. Commodum-incommodum. dignum, æquum, Juſtum, Benignum, communicabile, liberale, Congruum, deſiderabile, diffuſivum ſui, Honeſtum, Decus, Nobile, Clarum, Conveniens, Pulchrum, utile, eſſe, Perfectum.*

Ad M. revocantur *Magnum-Parvum. Copioſum-deficiens. Amplum, Capax, Opulentum, Fœcundum, Fertile, Immenſum, Infinitum, Inſigne, Sufficiens, vehemens, Majeſtate conſpicuum, Exuberans, Extenſum, Egregium, Excellens, Intenſum,*

Ad D. revocantur *Æternum-Temporalè. Conſiſtens-Inconſtans. Permanens, Stabile, Ætas, Antiquitas, conſtans, durum, Firmum, Indiſſolubile, Immortale, Perſeverans, Præſens, Sanum, Vigoroſum.*

Ad P. revocantur: *Auctoritas-ſinè Auctoritate. Dignitas-Indignitas, divitiæ, dominatio, Facultas, Habilitas, Juriſdictio, Libertas, Magiſtratus,* Præceptum, *Principatus, Paternitas, Robur, Jus, violentia, coactio, Armatum, Facultates naturales.*

Ad S. revocantur: *Ars-ſinę Arte.* Artificio-*ſum.*

ſum-Inartificioſum. Certitudo, Conjectura, Prudentia, Conſilium, Providentia, Doctrina, Experientia, Fidês, Omnes gradus literatorum. Induſtria, Intelligentia. Peritia, Lex, Opinio, Ordo, Prædeſtinatio, Ratio, Regula, Sagacitas. Scientia.

Ad Vo. Revocantur: *Amor-Odium. Amicitia. Inimicitia. Benevolentia, Concupiſcentia, Conſuetudo, Cupiditas, Deſiderium, Gaudium, Libertas, Liberum arbitrium, Licentia, Permiſſio, Jucunditas, Amabilitas, Suavitas, Omne, deſiderabile.*

Ad Vi. revocantur: *Virtus-Imbecillitas. Origo-ſine origine. Emanatio, Perennitas, Derivatio, Principium operationum, Fœcunditas, Pullulatio, Fertiltias, Habitus, manifeſtatio, Sacramentum, Gratiæ, omnes Facultates naturales, Omnes vires lapidum, herbarum, animalium.*

Ad Ve. revocantur: *Veritas-Falſitas. Adæquatio-Inadæquatio.* Ap*probatum, Autheritas, Animadverſio, Confirmatio, Probatio, Inſtrumenta, Regiſtrum, Definitio, Diſtinctio, Diviſio, Illatio, Principia.*

Ad G. revocantur: *Beatitudo-Infelicitas. Celebritas-ſinè celebritate. Fama, Felicitas, Gaudium, Honor, Laus, Majeſtas, Nobilitas, Oramentum, Pulchritudo, remuneratio, ſplendor, Triumphus, Victoria.*

ARTICULUS VI.

De Terminis reducibilibus ad Principia reſpectiva.

Ad

AD ⚌ revocantur *Aliud-Idem. Alterum-Idipſum. Diſparitas, Diſcretio, Diſtinctio, Diſſimilitudo, Diſproportio, Diſcordia, Diſtantia, Diverſitas, Diviſio, Inæqualitas, Longinquitas, Multiplex, multiplicatio.*

Ad ▽ revocantur: *Amicitia-Inimicitia. Æqualitas-inæqualitas. Conjunctio, copula, convenientia, Contractus, Conſenſus, Societas, Concentus harmonicus, Identitas, Paritas, Proportio, Similitudo, Conformitas.*

Ad ♏ revocantur: *Abrogatio-ſinè abrogatione. Accuſatio-ſinè accuſatione. Æmulatio, Contentio, Bellum, Contradictio, Diſſenſio, oppoſitio, Repugnantia, Reſiſtentia, Pugna, Pertinacia, Privatio, Diſcordia, omnia contraria.*

Ad ♈ revocantur: *Agens-Patiens. Antecedens-ſubſequens. Authoritas, Cauſa, Coactio, Electio, Generatio, Influxus, Initium, Origo, Prioritas, Productio.*

Ad ☉ revocantur: *Æquum-iniquum. Æquale-inæquale. conjunctum, Comprehenſum, Inſtrumentum, Mediocritas, Menſura, Pecunia, omne, cujus ope aliquid perficitur.*

Ad ♑ revocantur: *Conſummatio-Deficientia. Corruptio-Incorruptio. Conſumptio, Effectus, Eventus, Exitia, Mors, Terminatio, Perfectio, privatio.*

Ad Ma. revocantur: *Sublimitas-humilitas, Superioritas, Inferioritas, Eminentia, Abjectio. Excellentia, Dominium, Univerſalitas, Regnum, Imperium, Magnificentia, Gradus Comparativus, Gradus Superlativus.*

Ad Æ. revocantur: *Æquitas-Inæquitas. Juſtitia-Injuſtitia. Paritas, Commenſuratio, Numerus, Conformitas, concordia, Similitudo, Imitatio, Identitas.*

Ad Mi. revocantur: *Infimum - Supremum-Inferius-Excelſum. Parvitas. Indigentia, Paupertas, Miſeria, Infirmitas, Fragilitas, Obedientia, Imperfectio, Privatio, omnis defectus.*

ARTICULUS VII.

Novem Subjecta Univerſalia breviter deſcribuntur.

Subjecta univerſalia, ut diximus, ſunt 9. *DEUS, Angelus, Cælum, Elementa, homo, animalia, plantæ, mineralia, Inſtrumentalia.* Ad hæc 9. revocantur omnia *ſubjecta*, quemadmodum ad ſuperius tradita Principia revocantur omnia prædicata. *Itaq; declaremus ea paulisper.*

DEUS. Primum Artis hujus Subjectum & objectum, circa quod, quantum humani ingenii imbecillitas, finit, exponendum, verſatur totum *Theologiæ* ſtudium. Ad hoc ergo Subjectum revocari debet quidquid propriè *Theologicum* eſt.

Angelus. Huc ſpectant omnes *Angelorum* proprietates tum *negativæ*, ut *Simplicitas, illocalitas, &c.* Tum *affirmativæ*, ut: *Summa vis Intellectûs* ac *voluntatis, &c.* Item *Angelorum* bonorum & malorum ſtatus, effectus, officia, chori.

Cælum

Cœlum. Huc revocatur, quidquid in Cœlis, & ad Cœlos eſt. Innumerabilis globorum multitudo, qui juxta ſtabilitas DEI leges Archetypas ope Intelligentiarum per motus unicuique congruos, in bonum naturæ totius agitantur.

Elementa. Per hoc non tantum intelliguntur 4. Elementa: *Ignis, aer, aqua, terra.* Sed *pro igne* quivis calor ſive formalis, ſive virtualis, ſive analogicus. *Pro aere* omnis tenuis & ſubtilis ſubſtantia liquori aqueo analoga. *Pro aqua* omne, quod liquidum eſt. *Pro terra* omne ſolidum, durum, molle, non liquidum. *In hoc Subjecto* multa conſiderari poſſunt. puta, quis elementorum concurſus ad omnia mixta? eorum qualitates, motus, figura, locus, effectus? &c.

Homo. Mundi majoris Epitome. In numero *novem Univerſalium Subjectorum* medius, ab omnibus participans. Poteſt conſiderari *Theologicè*, ſecundum creationem, redemptionem, Spiritus Sancti chariſmata, felicitatem æternam &c. *Juridicè* ſecundum leges, quibus ſubjectus eſt. *Medicè*, ſecundum ſanabilitatem. *Metaphyſicè*, & *Logicè*, ſecundum definitionem, diviſionem, &c. *Phyſicè*, ſecundum partes & facultates naturales. *Phyſiologicè*, ſecundum ingenium, ætatem, valetudinem. *Ethicè*, ſecundum actus morales. *Politicè*, ſecundum civilem Societatem, &c.

Animalia. Huc ſpectat tota natura ſenſitiva,

hoc eſt, omne id, quod vivit, & ſentit, & loco movetur. Dividitur autem natura ſenſitiva in 4. genera: 1. in *quadrupedia*. 2. in *volatilia*. 3. in *aquatilia*. 4. in *inſecta*. Adijciunt nonnulli *Zoophyta* ſeu plantanimalia.

Plantæ. Huc ſpectat tota natura vegetativa, *hoc eſt* quidquid eſt corpus animatum ſenſus expers, quod vivit, naturæque ſuæ conſentanea attrahit, alitur, generatur, & demum calidi & humidi defectu corrumpitur. Sunt autem vegetabilia ſecundùm ſpecies propè innumera. Quot enim ſpecies arborum? quot fruticum? quot herbarum? quanta diverſitas, ſecundùm locum, tempus, figuras, virtutes, &c.

Minerali. Per *minerale* intelligitur omne foſſile, *hoc eſt*, omne corpus mixtum perfectum animæ & vitæ expers, ob quam cauſam *mineralia* vocantur *corpora ſilentia* & inanimata. Dividuntur potiſſimùm in *metalla*, ùt aurum, argentum, cuprum, ſtannum, ferrum plumbum, quorum materia, ex qua coagulantur, Mercurius & Sulphur ſunt. In *lapides*, quorum alii pretioſi, alii medii, alii comunes. In *ſuccos*, quorum alii concreti, ut ſalia, alii liquidi In *terreſtres Subſtantias*, quæ quidem habent ſolidam ſubſtantiam, non tamen ità lapideam, quin facilè in pulverem redigi queant, ut Arſenicum, auripigmentum, terra ſigillata, & ſimilia, quæ ex Succis, fluoribuſque merallicis conſtituuntur.

Inſtrumentalia. Per hæc intelliguntur *novem prædicamenta accidentalia*, quæ ſunt veluti *inſtrumenta* quædam, quibus ſubſtantia ſuas ope-

ratio-

rationes perficit. *Et hæc in Parte 5. art. 2. ſat ſuperque explanata ſunt. Ad uſum progrediamur.*

ARTICULUS VIII.
Uſus Artis Lulliano-Kircherianæ.

PRimus *uſus*. Quamlibet Quæſtionem ad abſoluta Artis principia reducere v. G. eſt Quæſtio: *An Deus ſit perfectius?* ſtabit ità Quæſtio: *An Deus* B. reduc igitur ad B. & proba propoſitionem per omnia abſoluta & reſpectiva ſequentia: nam quod infinitè M. eſt, B. eſt. Sed *DEUS* eſt infinitè M. ergo *DEUS* B. & ſic de ceteris. *Iterum* quod omnes ⁓ bonitatis in ſe continet, B. eſt. Sed. Ergo, &c.

Secundus uſus. Aptas rerum diviſiones invenire. v. G. *homo eſt dividendus*, potes hoc præſtare per omnia Alphabeta. 1. per *Quæſtiones*: v. G. per *an*? alius homo eſt poſſibilis, alius exiſtens &c. 2. per *Principia abſoluta* v. G. per B. alius eſt pius, alius impius, &c. 3. per *reſpectiva* v. G. per ∇. alius eſt concors, alius diſcors, &c. 4. per *Virtutes* & *vitia* v. G. per *Juſtitiam*. Alius eſt juſtus, alius injuſtus, &c. 5. per *novem ſubjecta* Analogicè. v. G. per *Angelum*. Alius eſt angelicis moribus præditus, alius diabolicis, &c.

Tertius uſus. Aptas rerum definitiones invenire. v. G. *definienda eſt materia* 1; hoc præſtare potes per omnia Alphabeta. Per *Quæſtiones* v. G. per *An*? eſt Ens *neceſſarium*; ex quo fiat corpus naturale. Per *principia abſoluta*. v. G. per

 B. eſt

B. eſt primum *bonum* ſive *communicabile* paſſivum formis ſubſtantialibus. &c.

Per *reſpectiva*. v. G. per ⌐. Eſt tam pura potentia, ut ſicut non habet ſecundùm ſe actum *Phyſicum*, ità etiam non habet *Metaphyſicum*, hoc eſt, *differentiam, &c.*

Per virtutes, v. G. *per fortitudinem*. Eſt primum ſubjectum ſuâ potentiâ & virtute ſuſtentans omnes formas. &c.

Per *Vitia*. v. G. per *avaritiam*. Eſt potentia ità indigens & avara, ut appetat omnes poſſibiles formas. &c.

Per 9. Subjecta analogicè. v. G. per *DEUM*. Sicut DEUS in *genere activorum* eſt primum & ſupremum, ità materia prima in *genere paſſivorum* eſt *primum & infimum. &c.*

Quartus uſus. Eſt Topica locorum conſtitutio ad arguendum in quolibet propoſito. *Id quod non eget explicatione.* nam v. G. in *Principiis abſolutis* alius eſt locus arguendi à B. ſive jam à bono utili, ſive honeſto, ſive delectabili, &c. alius ab M. &c. In *reſpectivis* iterum alius à ⌐ bonitatis, magnitudinis, &c. & ſic procede per omnia Alphabeta.

Quintus uſus. De qualibet propoſita Quæſtione amplè diſſerere. *nam ſit quæſtio* quæcunque propoſita de quocunque ſubjecto. Applica 9. Quæſtiones cum ſingulis Principiis Alphabetorum v. G. proponatur *quæſtio de Excellentia hominis*. quæres? *an homo ſit* B. M. D. &c. *quid* ſit homo? *Cur?*

Cur? &c. per omnes *Quæſtiones* & *Principia*. Accedit, quòd comparationem inſuper *analogicam* inſtituere poſſis cum omnibus aliis ſubjectis, & videre: *an, quid, cur?* &c. ſit per ſimilitudinem aut diſſimilitudinem cum *Deo*, cum *Angelo*, cum *Cœlis*, *elementis*, cum *brutis*, cum *plantis*; cum *mineralibus*, quibus *Inſtrumentalibus* polleat? ubi applicatio facienda *omnium 9. accidentalium Prædicamentorum*.

Unum addo. Si inſuper *artem combinatoriam* adhibeas, & Principia inter ſe miſceas per binarios, ternarios, &c. vel cum uno *abſolutorum* curras per omnia *reſpectiva*, vel cum uno *reſpectivorum* per omnia *abſoluta*, vel cum quocunq; principio curras analogicè per omnia ſubjecta, &c. & ſic in omnibus uſibus adductis, ſanè in quovis uſu ſive pro definiendo ſive pro dividendo, ſive pro argumentando, ſive pro diſcurſu faciendo immenſam rerum farraginem eruderabis.

ARTICULUS IX.

Utilitas mirifica Artis Lulliano-Kircherianæ in quolibet Themate expeditè ita diſponendo, ut inde quis innumerabilem ſcribendi, dicendive copiam habeat.

ET hoc eſt, ad quod maximè hanc Artem ſervire video, nimirum ad *libros* ſcribendos & innumera etiam *Capita* de quovis propoſito themate diſponenda. Quod autem *argumentationem* ſubitam attinet, difficilius mihi negotium videtur, quod multam in hac Arte exercitationem præerequirat.

Exemplum Theologicum, ſecundùm quod in omnibus aliis Scientiis innumera alia formare poteris. v. G. volo edere aliquod Opus *de DEO-Homine Chriſto.*

I. Statim habeo 18. Titulos ſive capita per 18. Principia.

B. de *Bonitate* & perfectione CHRISTI & Incarnationis Verbi.

M. de *Magnitudine* & Excellèntia Chriſti.

D. de *Generatione* Chriſti *æterna* & *temporali.*

P. de *Potentia* ſive poteſtate Chriſti, &c.

Et ſic de ceteris abſolutis.

— de *Differentia* Chriſti quoad Divinam & humanam naturam, & quoad ceteras creaturas.

◐ de *Mediatione* Chriſti inter DEUM & hominem.

Æ de *Æqualitate* Chriſti tum reſpectu Patris, cui conſubſtantialis eſt, tum, &c.

Et ſic de omnibus reſpectivis.

II. Ut hos ipſos Titulos extendas ad omnia, quæ de *Chriſto* dici poſſunt, applica cuilibet titulo omnes 9. *Quæſtiones*, & quæcunque in iis continentur. v. G. vis titulum primum de *Bonitate* & perfectione DEI incarnati extendere? Applica illi Quæſtionem: A*n*? *cum omnibus Principiis.* An Chriſtus ſit *eſſentialiter B.* & perfectus? an Chriſtus ſit ità M. in *perfectione*, *ut* ſit *ubique extenſus*? an ſit ità D. ut fuerit *ab æterno*? an ſit ità P. in

in Perfectione, ut habeat *omnipotentiam* Humanitati communicatam, &c. & ſic porrò. *Deinde* applica eidem titulo primo de perfectione Chriſti *Quæſtionem quid* cum omnibus iterum Principiis, &c. *Demum* applicatis omnibus *Quæſtionibus* modo dicto ad *primum titulum*, perge ad *Secundum* & operare ſimiliter.

III. Inſuper comparationem Analogicam inſtitue *Chriſti* cum omnibus 9. *Subjectis*, iiſque, quæ ſub quovis ſubjecto continentur.

His ita conſtitutis vides de unico hoc innumeros non libellos, ſed Tomos ſcribi poſſe, quos nec Mundus capere poſſit, ità ut verè poſſis dicere, quod *Joannes c. 21, v. ultimo. Sunt autem & alia multa, quæ fecit JESUS, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.*

Ad finem nota, quod in Principio inſinuavi, ſimiliter libros de omni alio quocunque propoſito ſubjecto cum admirabili Titulorum, materiarumque numeroſitate & varietate diſponi poſſe.

ARTICULUS X.

Utilitas Artis hujus omnino paradoxica in probandis & oppugnandis quibuscunque propoſitionibus quarumcunque Scientiarum.

ESſet hic quidam Oceanus enavigandus. Nam per *artem combinatoriam* ad artis *Lulliano-Kircherianæ* Regulas applicatam in comperto eſt etiam

etiam argumentorum millia pro unica propoſitione probanda emergere, v. G. *unicam hanc Propoſitionem* Theologicam: *An DEUS ſit?* 6561. modis vel ex unica tabella Lullianorum Principiorum probari poſſe oſtendit *Kircherus L. 6.* amabò? quot ergo millia ſuppeditabunt tabellæ aliæ, cycli, columnæ, &c. in quibus omnibus Author idem *Lulli* Principia combinavit? *Item* adducenda forent hoc loco paradigmata, quibus clareſcerent Artis hujus eximiæ praxes in omnibus Scientiis. Nos ob libelli noſtri anguſtias ex principiis per præcedentes articulos traditis paucula ſubjungemus, eaque admodum ſimplicia, ut Tironibus conſulamus.

Exemplum Theologicum? An DEUS ſit finis omnium rerum?

Illud, in quo omnia B. reſolvuntur, & quod omnia appetunt, eſt ultimus finis rerum. Sed in Divinam B. omnia B. reſolvuntur &c. Ergo. Et ſic per M. per D. per S. &c.

Exemplum aliud *Theologicum*: De Notionibus in Divinis.

Per Principia *abſoluta*. Per B. *omnis potentia naturalis infinitè bonificativa neceſſariò habet objectum infinitè bonificabile ſive bonificatum. Sed in DEO Patre eſt talis potentia. Ergo habet tale objectum; qui eſt Filius.*

Per M. *Omnis potentia infinitè magnificativa &c. Sed. Ergo.* Et ſic per omnia.

Per Principia *reſpectiva*. Per — *Ubicunque dan-*

dantur correlativa hæc *tivum* & *bile*, ibi *datur diſtinctio realis. Sed inter* Patrem *& Filium, item inter hos &* Spiritum *Sanctum datur tivum, & bile.* Ergo *diſtinctio realis.* Ergo *perſonarum pluralitas*, quæ proprietatibus, &c.

Per ☍. *Ubicunque eſt relatio realis, ibi realis oppoſitio. Sed, Ergo.* Similiter per cetera.

Nolim tamen tibi, mi Lector! occaſione hujus exempli ſuſpicionem tibi obrepere, quaſi hic proponerem & ſtabilirem Opinionem Lulli (damnatam à plerìſque Theologis) dicentis: *poſſe Myſterium Trinitatis independenter à revelatione divina evidenter demonſtrari ex ſolis principiis naturalibus.* dico ſimpliciter *probari* poſſe: an *demonſtrative?* non dico.

Exemplum Juridicum. Utrum, qui ſentit commodum, ſentire quoque debeat & incommodum?

Per B.P.V. *Quandocunque commodum & incommodum requiruntur in aliquo bono, quod quis verè poſſidet, neceſſe eſt, ut qui primum affectat, ſecundum quoque ſentire debeat, cùm ſint in eodem ente comparata. Sed hoc fit v.g. in procurante ſibi hæreditatem variis obligationibus & oneroſis contractibus ſubjectam.* Ergo. Similiter *per* B. P. ⏝. per B. P. ∝. &c.

Caſus Juridicus Curioſus. Quidam duxit aſinum ſuum ad pratum juxta flumen,& alius quidam ligavit naviculam ſuam ad vitem in ripa fluminis, quod radebat pratum. Accidit autem, ut aſinus causà bibendi ingreſſus ſit naviculam, ubi ex-

tinctâ ſit; cœpit ex ipſa navicula depaſcere herbas ripæ, & inter alia quoque vitem, cui navicula alligata erat, rodere, & en! rodendo vinculum rupit; unde navicula ſoluta & aſinus unà ſecundo flumine labentes, eversâ tandem naviculâ, & navicula & aſinus periêre.

Hinc malis, nam Dominus aſini ſibi petiit aſinum reſtitui à Domino naviculæ, & Dominus naviculæ ſibi naviculam; venerunt in Judicium. quæritur ergo: *quis eorum alteri debeat reſtitutione ſatisfacere*? Dic *per* B. illa actio, ex qua nullum *malum*, detrimentumve per ſe provenit alicui, non eſt obnoxia pœnæ. Sed actio utriuſque talis eſt. ergo. *Iterum per M.* ubi non eſt *extenſio* voluntatis inferendo damnum aliis, illa actio non eſt culpabilis. Sed. Ergo. *Iterum per D.* ubi *durat* jus paſcendi in proprio fundo, & alligandi naviculam ad ripam ſinè damno alterius per ſe, ibi actio non eſt culpabilis. Sed. Ergò *Et ſic per cetera.*

Exemplum Medicum. An corpora non purgata, ſed impura, tanto plùs damni adferant, quantò ampliùs nutriveris?

Per M. quandocunque *multitudo* nutrimenti excedit, tum plus damni adfert, quàm utilitatis. Sed. Ergo.

Per Vi. quandocunque *Virtus* per exceſſum nutrimenti debilitatur, tunc plus damni. Sed. Ergo.

Per G. quandocunque nutrimentum non obtinet *finem*, tunc plus damni. Sed. Ergo. *Et ſic per cetera abſoluta.*

Per Æ. Impuritatibus oppleta corpora debent per

per ſubtractionem nutrimentorum ad *æqualitatem* & temperantiam traduci.

Per Min. ubi eſt oppletio humorum, ibi *minor* copia alimenti aſſumenda eſt, ut ſuperfluum per diminutionem ad temperatum ſtatum reducatur. *Et ſic per cetera reſpectiva.*

Per B. & ☉. Illa non eſt bona nutritio, quæ non poteſt eſſe medium ad ſanitatem. Sed. Ergo. *Et ſic porrò.*

Exemplum Philoſophicum. An materia prima ſit pura potentia non incluſô ullô actu?

Sententia affirmativa. Per B. Illa eſt pura potentia, quæ per ſe nullam dat bonitatem & perfectionem actualem rei. Sed. Ergo. *Et ſic per cetera tum abſoluta, tum reſpectiva.*

Sententia negans. Per B. omne Ens bonum neceſſariò includit aliquem actum. Sed. Ergo. *Iterum per Ve.* omne quod verè eſt extra cauſas includit actum. Sed. Ergo. *Et ſic per cetera.*

ARTICULUS XI.
Modus hanc artem mirabilem diſcendi.

PRimò. Diſcipulus eſſe debet bonæ mentis, perſpicax, & ingenio pollens, multúmque inclinatus ad arcanas rerum Scientias.

Secundò. Ante omnia diligenter memoriæ mandet Principia tum *abſoluta*, tum *reſpectiva. 9. Quæſtiones & 9. Subjecta Univerſalia*, unà cum *9. prædicamentis*, quantitate, qualitate, &c.

Tertiò. Terminos ad principia reducibiles promptiſſimos habeat, nam ſinè his nihil in arte di-

dignum efficiet, cum omnes ferè Quæſtiones per terminos in arte non implicitos, ſed explicitos diſſolvantur.

Quartò. Si quis hâc Arte v. G. in *Theologicis, Juridicis, Philoſophicis,&c.* uti velit, primùm calleat *Theologica, Juridica, Philoſophica*, Principia, Objectum, Subjectum, definitionem, &c. Idem intelligendum de ceteris Scientijs. Nam, qui nullius Scientiæ, *quoad Principia*, notitiam haberet, illum ad propoſitam Quæſtionem reſpondere, impoſſibile eſſe nemo videt.

Quintò. Non utatur multum terminis *Lullianis*, ſed terminis, quos adhibemus in Scholis ad *Lullianos* applicatis.

Sextò. Incipiat à facilioribus Quæſtionibus, & in ijs ſe primùm exerceat.

Septimò. Non omnibus Quæſtionibus applicet ſemper omnia Principia, ſed videat, quæ huic aut illi quæſtioni magis congruant.

Octavo. Non ſit ignarus Artis *combinatoriæ*, Artis *Analytico-ſyntheticæ* artiſque *Analogicæ*. Quæ ultima præſertim requiritur in probandis propoſitionibus de talibus *Subjectis*, quæ aliquorum terminorum incapaces ſunt. v. G. eſt propoſitio *de Cœlo*, quod *Sapientiæ* incapax eſt; igitur *Sapientia* & ejuſmodi prædicata *Subjectis* talibus *per analogiam* applicanda, ùt ſuperius in diverſis locis docuimus.

Demum etiam ſibi comparet peritiam Tabularum, Cyclorum, &c. in quibus per artem combinatoriam termini multifariè permiſcentur, ut novæ ſemper & novæ argumentorum ſeries enaſcan-

…omplectens.

15	16	17	18
…ω.	BMa	BÆ	BMi
…ω	MMa	MÆ	MMi
…ω.	DMa	DÆ	DMi
…ω.	PMa	PÆ	PMi
…ω.	SMa	SÆ	SMi
…ω	VaMa	VaÆ	VaMi
…ω.	ViMa	ViÆ	ViMi
…ω	VeMa	VeÆ	VeMi
…ω	GMa	GÆ	GMi
…ω.	=Ma	=Æ	=Mi
…ω	♡Ma	♡Æ	♡Mi
…ω	∞Ma	∞Æ	∞Mi
…ω	αMa	αÆ	αMi
…ω	⊙Ma	⊙Æ	⊙Mi
…ω	ωMa	ωÆ	ωMi
…aω	MaMa	MaÆ	MaMi
…ω	ÆMa	ÆÆ	ÆMi
…iω	MiMa	MiÆ	MiMi

ſcantur. Ego hîc ſubnectam vel unicam *Tabulam*, quæ inſtar omnium aliarum admirabile compendium.

ARTICULUS Ultimus.

Tabula Combinatoria,

In qua per Artem Combinatoriam Principia tum abſoluta, tum reſpectiva Lulliano-Kircheriana ità diſponuntur, ut eâ, quidquid in humanarum Divinarúmque rerum Scientia latet abſconditum, erui posſit.

Tabulam, quam apponimus mirô artificiô per Regulas combinatorias compoſuit *Kircherus*, ut in ea curioſa mens invenire posſit, quidquid deſiderare poteſt, tum ad diſcurſus facili negotio formandos, tum ad ſacras, profanáſque authoritates amplè deducendas, &c. *Denique in hac* unica *tabula* habes arcanas, innumeráſque argumentorum ſedes pro omni eo, quod in Quæſtionem cadere poteſt.

Expoſitio Tabulæ. Prima Columna monſtrat, quidquid de *bonitate* entium ſive realium, ſive moralium ſive intentionalium dici poteſt. *Secunda* autem *Columna*, quidquid ſpectat ad *magnitudinem*, extenſionem & intenſionem. *Tertia Columna*, quidquid ad *durationem* & ſic conſequenter, ut ſtatim agnoſcet Lector, qui characteres principiorum didicit, quos propoſui & explicui *in artic.* I.

Quæres primo. quare in quolibet *columnæ* receptaculo literas binas poſuerimus? Reſpondeo utraque litera ſignificat ter-

terminum in abſtracto; prima quidem in recto, altera in obliquo, & nihil aliud denotant, quam themata quæſtionum. Sic igitur ſunt pronunciandæ: BB. *bonitas bonitatis.* M. B. *magnitudo bonitatis.* D. B. *duratio bonitatis.*

Quæres ſecundò. Cur B. M. & M. B. Similia diverſimodè poſuerimus, cùm videantur idem ſignificare? Rdeo aliud eſt B. M. *bonitas magnitudinis*, & aliud M. B. *magnitudo bonitatis*; hæc enim eſt cauſa v. G. quòd DEUS mundum condiderit; illa verò eſt cauſa, quòd eundem ſuâ gratiâ conſervet.

Quæres tertiò. Cur in diametralibus receptaculis omnia ponantur identica? v. G. BB. MM. DD. quod non videtur ad propoſitum facere? Rdeo unum terminum oportet ſumere ùt implicitum, alterum ùt explicitum & reducibilem. v. G. BB. *diffuſio Bonitatis.* MM. *extenſio magnitudinis.* DD. *æternitas durationis*, & tunc multùm faciet ad propoſitum.

Praxis Tabulâ utendi. Si tibi eſt aliqua propoſitio probanda, diſpice ſubitò: quod ſit in illa ſubjectum, quod prædicatum? & reduc utrumque ad terminos congruos ſive abſolutos, ſive reſpectivos, & quære utrumque terminum in tabula, & ecce è regione ſtatim invenies materiam probandi & diſcurrendi abundantem. *Sed exemplis declaremus.*

Exemplum primum. Eſt probanda hæc propoſitio: *in DEO eſt infinita bonitatis diffuſio.* *DEI eſſe* eſt ſubjectum, *diffuſio bonitatis* eſt prædicatum. *DEI eſſe* reducitur ad B. & *diffuſio bonitatis* etiam reducitur ad B. Ergo quære BB. in Tabula, & en è regione

one invenies BM. BD. &c. medios terminos ſufficientes. v. G. accipe BM. & dic: *Illud bonum, quod ſine termino magnitudinis ſeſe diffundit, eſt diffuſio bonitatis infinitæ. Sed DEI &c. Ergo.*

Exemplum ſecundum. Probanda eſt propoſitio: *Parentes ſunt honorandi.* prædicatum reducitur ad G. ſubjectum ad α. quære ergò G. α. & è regione invenies argumenta ſive media plura, quàm unquam deſiderare poſſis. v. G. ſume G. Ma. & dic: *Majores ſunt honorandi. Sed Parentes ſunt Majores. Ergo ſunt honorandi.* Et ſic in ceteris Exemplis procede.

Nota ad finem. Primò. Si expeditè vis combinationes invenire, neceſſe eſt, ut *Tabulam* juxta columnarum proceſſum memoriæ mandes, quod facilè fiet. nam in Ia. *columna* omnia 18. principia prædicantur de B. in 2a. *columna* eadem prædicantur de M. *in* 3a. de D. & ſic porrò.

Si argumentorum ſeriem ad huc majorem habere vis, applica 9. quæſtiones v. G. ad BB. an BB. ſit BM.? an BD.? & cetera per *lineam tranſverſalem*; vel an ſit MB.? an DB.? & cetera *deorſum.* vel etiam per *lineas diametrales*: ſunt enim omnia convertibilia. Deinde applica *quid*? deinde *cur*? & cetera ſimiliter dictô modô. Potes inſuper has quæſtiones propoſitæ propoſitioni & mediis inventis applicando quærere: *an* ſint illa in 9. ſubjectis? *quid* ſint in illis? *cur* &c. &c.

Et hoc breviter de *Arte Lulliano-Kircheriana.* Appono ad finem, quod Kircherus, verbis aliquo modo immutatis,

O DE-

O DEUS *Scientiarum fons!*

B. *Ecce! Tu ſolus* bo-nus *dediſti velle bonum.*

M. *Tu cujus* Magnitudinis *non eſt numerus, dediſti, ut* ego *pulvis aliquid magni auderem.*

D. *Tu* æternitatis *abyſſus dediſti, ut veritates æternas inquirerem.*

P. *Tu* omnipotens. *quale quale tandem mihi* poſſe *dediſti.*

S. *Tu* Sapientia *in luce inacceſſibili intellectum meum caliginoſum illuſtrâſti.*

Vo. *Tu* Amabilis pulchritudo ad *Te ſolum poſſidendum me attraxiſti.*

Vi. *Tu*, cujus Virtute *ſtant omnia, vires, ut perficerem, conceſſiſti.*

Ve. *Tu* Veritas *æterna, nè fallerer, mihi leges præſcripſiſti.*

G. *Tu quies ultima & gaudium, in te uno quieſco.*

PARS OCTAVA.

Ars noſtra Univerſalis Sciendi & diſſerendi.

A*Udemus* noſtram *dicere, non quod nos illam primi demus in lucem, cùm nata jam fuerit ante Secula, ſed quod nos eidem aliquam aſpergere luculam in ſequentibus putemus, cùm* ſic illuſtratam *nuſpiam invenerimus.* *Et quidem Ars hæc ità univerſalis eſt, ut ceteras omnes; quas, univerſales vocant, omnino tranſcendat, imo omnes cetera ſinè hac manca, ac mutilæ videantur. Illius igitur in hac parte dabimus* præcepta; *in alte-*

ra ve-

ra vero Exempla. *Curioſe Lector! ſi hac in arte te ſolerter exercueris,& eam cuicunque demum Scientiæ applicueris, audemus tibi polliceri, quod majorem unâ horâ, quàm aliter ſinè hac etiam per hebdomadas profectum facturus ſis.*

ARTICULUS I.

Artis hujus noſcendæ Occaſio.

PRimam *occaſionem præbebunt Geometræ.* Sola Euclidis Elementa pervolve, & advertes ſubitò mirè artificioſam conſequentiarum annulatim inter ſe connexarum catenam per meram *ἀνάλυσιν* ac *σύνθεσιν*, aut etiam *deductionem ad abſurdum.*

Secundam Occaſionem præbebunt Libri S. Thomæ. In his enim *notabis* S. Doctorem plerumque ex pricipiis poſitis veluti ex centro ad circumferentiam ità ferri, ut tandem poſt continuatam terminorum aſſumptorum unius ex altero illationem propoſitæ quæſtionis veritas eruatur. Id quod *ἀναλυτικὸν* eſt.

Notabis præterea, quòd ea, quæ ſæpe minutim reſolvit, aptiſſimè componat, ut ex latitudine quandam longè diffuſa ſingulas rerum rationes reſolvendo, ſuo tandem centro & Principio reſtituatur. Id quod *συνθετικὸν* eſt.

Notabis denique S. Doctorem perſæpe continuatâ conſequentiarum ſerie ab abſurdo arguere. Et ità pervidebis, Eum *viâ* omnino *Geometricâ*, quamvìs in alia materia, procedere, Doctrinámque ſuam pulcherrimam ſinè plenorum ambagibus Syllogiſmorum, brevitatis ergò per meras conſequentias quaſi per continuatos annulos nectere.

AR-

ARTICULUS II.

Ars tota Tironi explicatur.

NOta primò. Artem hanc *Analytico-Syntheticam* vocari, hoc eſt, *Reſolutorio-Compoſitoriam*, ùt *artic. præced.* inſinuatum. *Analyticæ* Pater habetur *Plato*, quam tanti fecit, ut eandem omnibus, velut omnium Scientiarum *Clavim*, inculcârit. At Diſcipulus ejus *Ariſtoteles* ſupra Magiſtrum illam oſtendit *in libris Priorum & Poſteriorum*, quamvis modum omiſerit *artem hanc* in praxim evolvendi. Primus fuit *Franciſcus Patricius*, qui hanc ipſam ad res Metaphyſicas tranſtulit. Nos eam *ad omnes Scientias & artes* applicabimus, quod nuſpiam legimus, nihilque hâc ipsâ arte ad eruendas abditiſſimas Veritates aptiùs ac ſcitiùs excogitari poſſe judicamus. *Habet autem ſic:*

Nota ſecundò. Quòd *Mathematici*, dum propoſitionem aliquam demonſtrare intendunt, ſupponant illam eſſe veram, & ex hac ipſa propoſitione, quam veram ſupponunt, deducunt, conſequentiam, & ex hoc conſequente iterum aliam conſequentiam, & ex hoc conſequente iterum aliam &c. donec ad *conſequens* aliquod deveniât, quod *eſt aliunde notum*, & tunc operatio eſt finita, & vocatur ἀνάλυσις *ſeu Reſolutio.* Nam *reſolutio* eſt aſſumptio *quæſiti* tanquam *conceſſi per conſequentia ad verum conceſſum.*

Nota tertiò. Si invertatur charta, in qua ſcripta eſt dicta *Reſolutio quæſiti*, tunc habetur demonſtratio parata, in qua proceditur ab ultimo conſequente ad primam propoſitionem, quæ ſupponebatur ùt vera. Et hæc inverſio vocatur σύνθεσις ſeu *Com-*

p. ſ

poſitio eſt Aſſumptio per Conſequentia ad quæſitum, ad quod a conceſſis progredimur.

Nota quarto. Dum *à quæſito* progrediuntur Mathematici *ad conceſſa*, ſæpe contingit, ut deveniant ad conceſſa, *quæ deſtruunt*, hoc eſt, deveniunt ad aliquod *abſurdum*. Et hæc progreſſio non *vocatur Reſolutio*, ſed *deductio ad impoſſibile*. Eſt autem hæc deductio *aſſumptio ejus, quod quæſito contradicit, tanquam conceſſi per conſequentia ad id, quod vero conceſſo opponitur. hoc eſt.* Habentes præ manibus aliquam propoſitionem, cujus veritatem cognoſcere volumus, accipimus propoſitionem illi contradictoriam, & ſupponentes illam eſſe veram, tamdiu deducimus inde conſequentias, donec deveniamus ad aliquod abſurdum. Tum demum regredimur per omnia conſequentia ſimiliter abſurda uſque ad illam propoſitionem contradictoriam, & dicimus: *Ergo & hæc propoſitio eſt abſurda & falſa. Ergo altera, de qua quæſtio eſt, vera eſt.*

ARTICULUS III.
Eadem Ars Exemplô in abſtracto declaratur.

DEmonſtrandum eſt, quòd detur A. quid facio; Suppono dari A. & ſic progredior.

Per Reſolutionem. Si datur A. datur B. ſi datur B. ergo datur C. ſi datur C ergo datur D. Sed hoc eſt *aliunde notum.* Inverto igitur chartam, & ultimum conſequens fit primum Antecedens, & dico, ut ſequitur.

Per Compoſitionem. Aliunde notum eſt quòd detur D. ſi autem hoc: Ergo datur C. Si hoc:

Ergo datur B. Si hoc? Ergo datur A. quod erat demonſtrandum. *Vel etiam ſic.*

Per deductionem ad impoſſibile. Probandum eſt, quòd detur A. *ſit ità:* non detur A. Ergo non datur. Si hoc? ergo non datur B. Si hoc? ergo non datur C. Si hoc? ergo non datur D. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo etiam omnia antecedentia ſunt abſurda. *hoc eſt.* Ergo etiam abſurdum eſt non dari C. ergo etiam abſurdum eſt non dari B. ergo etiam abſurdum eſt non dari A. Ergo verum eſt, quòd detur A, *quod erat oſtendendum.*

ARTICULUS IV.

Ars eadem Tironi proponitur ad quamcunque datam propoſitionem probandam.

N*Ota primò.* Si vis oſtendere, aliquam propoſitionem eſſe veram, ſuppone propoſitionem eſſe veram, & deduc ex illa conſequentiam, & ex hac iterum aliam; & tamdiu, donec venias ad aliquid vel lumine naturæ notum vel aliunde manifeſtè probatum, & tunc regredere ab ultimo Conſequente ad primum Antecedens, & habebis probatum, quod vis v. G. vis oſtendere hanc propoſitionem eſſe veram: *datur DEUS.* Suppone illam eſſe veram, & infer: *Si hoc eſt verum? Ergo datur cauſa prima. Si hoc? ergo non datur ante quamcunque cauſam alia ſemper & alia. Si hoc? ergo in cauſis non datur progreſſus in infinitum. Atqui hoc eſt aliunde manifeſtè probatum.* Ergo regredere & dic: *Aliunde manifeſtum eſt, non dari proceſſum in infinitum. Ergo nec in cauſis progredimur in infinitum. Ergo non datur ante quamcun-*

que

que cauſam ſemper alia & alia. Ergo datur cauſa prima. Ergo datur DEUS. quod erat oſtendendum.

Nota ſecundò. Si vis oſtendere aliquam propoſitionem eſſe veram, ſuppone illius contradictoriam eſſe veram, & tamdiu deduc conſequentias, donec devenias ad aliquod abſurdum. v.g. probanda eſt tibi hæc propoſitio: *Datur DEUS.* Suppone contradictoriam eſſe veram: *non datur DEUS* infer: *Si hoc? ergo non datur cauſa prima. Si hoc? ergo ante quamcunque cauſam datur alia ſemper & alia. Si hoc? ergo in cauſis datur progreſſus in infinitum. Atqui hoc eſt abſurdum. Ergo & primum Antecedens eſt abſurdum.* Ergo abſurda & falſa propoſitio eſt: *non datur DEUS. Ergo ipſius contradictoria eſt vera: Datur DEUS.*

ARTICULUS V.

Idem proponitur Tironi ad quamcunque datam propoſitionem oppugnandam.

Nota primo. Si vis aliquam propoſitionem oppugnare, ſuppone illam eſſe veram, & tamdiu deduc ex ea conſequentias, donec devenias ad aliquod conſequens abſurdum, & tunc erit oppugnatio parata ſinè regreſſu ad Antecedentia. V.G. ut maneamus in Exemplo propoſito, eſt propoſitio oppúgnanda: *non datur DEVS.* Suppone illam eſſe veram, & dic: *Si verum eſt non dari DEUM. ergo non datur cauſa prima. Si hoc? ergo ante quamcunque Cauſam datur alia. Si hoc? ergo in cauſis datur progreſſus in infinitum.*

Si hoc? ergo datur aliquis proceſſus in infinitum. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo & primum Antecedens eſt abſurdum, quod ſuppoſueramus eſſe verum.

Nota ſecundo. Si vis aliquam propoſitionem oppugnare, ſuppone illius contradictorium eſſe verum, & deduc ex hoc conſequentias, donec venias ad aliquid manifeſtum, & tunc inverte chartam, & regrediendo habes oppugnationem paratam. v. G. vis oppugnare hanc propoſitionem: *non datur DEUS.* Suppone ergo contradictorium eſſe verum, & dic, ùt *Art: præcedente Notabili ſecundo: Si hoc verum eſt?* ergo *datur cauſa prima. &c. &c.*

ARTICULUS VI.

Maxima difficultas in hac Arte diſſolvitur.

OBjicis. Capio perbene totam Artem; & hoc videtur nobis eſſe à natura inditum, ut deducamus Conſequentias, quemadmodum me inſtruere voluiſti. Sed *hic Rhodus, hic ſalta.* Quæro enim: *quomodo deducam Conſequentias?* Nam proponitur mihi theſis, volóque deducere conſequentias, & en! *hæret aqua*, non video, quid ſequatur?

Reſpondeo. Rectè obijcis, & difficnltatem acu tangis. *Audi ergo.* Habes ante te propoſitionem, & vis ex illa deducere conſequentias, unam ex alia, & iterum aliam ex alia, *ſic operare.* Propoſitio quælibet conſtat *Subjecto, prædicato, & copulâ,* ut nôſti. Perluſtra ergo illam propoſitionem, ex quavis deducere conſequentias, & defini,

vel divide illius *prædicatum* & *ſubjectum*, & ſtatim occurret *Conſequentia*. *Iterum*, in hoc conſequente perluſtra *ſubjectum* & *prædicatum*, & *iterum* defini utrumque, aut divide & *iterum* occurret *Conſequentia*, & ſic deinceps.

Si hoc feceris, non patieris difficultatem in deducendis etiam centum conſequentijs, ſi opus ſit. v. g. deducendæ ſunt Conſequentiæ ex hac propoſitione: *datur DEUS*. cogita: *quid eſt DEUS?* eſt *Cauſa prima*. infer: *Si datur* DEUS, *ergo datur Cauſa prima*. Iterum cogita: *quid eſt Cauſa prima?* *Eſt talis Cauſa, ante quam non datur abſolutè alia*. En ergo iterùm conſequentiam: *Si datur Cauſa prima*. *ergo non datur ante omnem cauſam alia & alia &c.* Cogita iterum: *quid eſt hoc: non dari ante omnem Cauſam aliam & aliam? Eſt non dari proceſſum in infinitum in cauſis*. En ergo iterum novam conſequentiam: *non datur ante omnem cauſam alia & alia, non datur proceſſus in infinitum, &c.* Sed

Objicis iterum. Tam mihi videtur difficile *definire ſubjectum & prædicatum*, *quàm deducere conſequentias*. Ergo manet adhuc difficultas.

Reſpondeo primo. Exercitatio ſolvet hanc objectionem, admove manum, & experieris brevi nihil eſſe tam abſtruſi, de quo non cum fructu ſeu meditari, ſeu diſcurrere poſſis, ità, ut materia tè nunquam defectura ſit.

Reſpondeo ſecundò. Ut & in hoc tibi ſatisfaciam, habe pro adminiculo Sequentes *Articulos*, quos quò firmiùs impreſſeris memoriæ, eò faciliùs poteris etiam centum conſequentias deducere.

ARTICULUS VII.

Adjumenta ad celeriùs, & faciliùs definiendum, deſcribendúmque.

QVid naturalius, quam dum aliquid nobis ignotum occurrit, cogitare aut etiam dicere: quid eſt hoc? *Ut igitur celeriter & facilè dicas:* Quid ſit hoc aut illud? *quid ſit* ſubjectum, aut prædicatum *in aliqua propoſitione? habe præ oculis ſequentia præter cetera, quæ in Summulis dici conſuevêre,*

Primo. Ariſtoteles 2. poſt. c. 8. tradit Regulam duplicem pro rigoroſa definitione. at pro Tirone ſubobſcuram. Ego utramque in unam combino, & hoc modo clarè propono. *Si vis rigoroſam habere definitionem,* quæ exprimat ipſam eſſentiam rei, debes invenire *genus* & *differentiam* illius rei. Eſt autem *genus* prædicatum commune, in quo res aliqua v. g. *homo* convenit cum alijs rebus ſpecie differentibus. *Differentia* verò eſt prædicatum ſpeciale, per quod ab omnibus alijs rebus differt. *Modus autem deprehendendi genus & differentiam eſt iſte.* v. g. *quid eſt homo?* perluſtra *hominem* & vide, qualeſnam habeat perfectiones? & en! invenies in homine aliquas perfectiones, quæ non tantùm conveniunt illis rebus, quas *homines* vocamus, ſed etiam alijs, & hæ perfectiones erunt *genericæ*, & ex his accipe illam, quæ pauciſſimis præter hominem convenit. v. g. perfectionem illam, quæ exprimitur per hoc nomen *animal*, & hoc erit *genus* in definitione. *Iterum:* invenies aliquas perfectiones, quæ ſolis hominibus conveniunt: & inter has perfectiones erit *una prima* & ceterarum radix & fundamentum, &

& hæc erit *differentia.* v. G. *Rationale.*Ceteræ autem perfectiones emanantes ex hac, erunt *proprietates.* v. G. *admirativum* , *riſibile &c.* dic ergo : *quid eſt homo*? eſt *animal rationale.* Et habes *definitionem rigoroſam,* quæ explicat eſſentiam rei per *genus* & *differentiam* , nimirum eſſentiam Methaphyſicam.

Secundò, Si vis habere *definitionem eſſentialem*, quæ explicet rem per *eſſentiam Phyſicam*? vide, quænam ſit illius cauſa *materialis* , & cauſa *formalis.* Cauſa autem *Materialis* eſt, id, *ex quo res eſt*, *formalis* verò eſt id, *per quod eſt.* V. G. *quid eſt homo*? *eſt compoſitum ex corpore & anima rationali.* Aliud Exemplum. *Quid eſt Domus? eſt operimentum conſtitutum ex lapidibus, cœmentis &c. ſic vel ſic ordinatis ac diſpoſitis.* Et hoc eſt explicare rem per cauſam intrinſecam.

Tertiò. Potes etiam rem deſcribere per ſolam cauſam *materialem*, quæ ſæpe ſufficit ad probandam propoſitionem. V. G. proponitur hæc propoſitio. *homo eſt Ens merè ſpirituale.* Quid eſt homo? *homo ſecundùm cauſam materialem eſt factus ex limo terræ.* quomodo igitur poteſt eſſe *Ens merè Spirituale*?

Quartò. Potes etiam rem deſcribere per ſolam Cauſam *formalem.* V. G. *Homo eſt Ens, quod habet animam rationalem.*

Quintò. Si vis rem explicare per cauſas extrinſecas? vide quænam ſit illius cauſa *efficiens* & cauſa *finalis.* Et iterum vel per *utramque* ſimul potes explicare rem propoſitam, vel per ſolam cauſam *efficientem*, vel per ſolam *finalem.*

Definitio per cauſam efficientem. quid eſt homo? *Eſt Ens, quod à DEO creatum eſt.* quod in-

interdum ſufficit vel ad infringendam vel ad firmandam aliquam propoſitionem. *Iterum.* quid eſt Dies? *eſt Motus* Solis *ſuper horizontem. &c.*

Definitio per cauſam finalem. Quid eſt homo *eſt conditus á* DEO, *ut ipſi ſerviat, eique ſerviendo, ſalvus fiat.* Quid eſt Domus? *eſt operimentum ad arcendas pluvias, & ceteras injurias aeris &c.*

Sexto. Per *Artem combinatoriam* ſcis, quoties poſſint combinari 4. *Cauſæ.* Si igitur habes 4. *Cauſas* rei alicujus, vel potes illam definire *per omnes* 4. vel per cauſam *materialem* & *formalem* ſimul, ut diximus, vel per *efficientem* & *formalem* ſimul vel per *materialem* & *finalem*, vel *per materialem* & *efficientem.* vel &c. &c. v. G. per omnes Cauſas: *Domus eſt operimentum ex lapidibus, cœmentis ſic ordinatis ab Architecto ad arcendas pluvias &c.*

Et hæc de definitionibus eſſentialibus & cauſalibus. *nunc ad definitionem deſcriptivam.*

ARTICULUS VIII.
Plura Adjumenta.

SEptimo. *Accidentia* ſunt duplicia: *propria* & *communia,* ùt nôſti ex Logica. Vide igitur, qualia *accidentia* habeat res propoſita. v. G *homo,* & dic: *homo eſt animal riſibile,* quæ eſt definitio deſcriptiva *per proprietates.* Vel: *homo eſt animal implume bipes,* quæ eſt definitio deſcriptiva *per accidentia communia.*

Octavo. Vide, quales effectus producat res propoſita, & ſtatim habebis definitionem

per

per effectus v. g. *homo eſt Ens, quod loquitur, quod numerat; quod ſentit, quod intelligit &c.*

Nonò. Vide qualeſnam virtutes naturales habeat res propoſita, & ſtatim habebis definitionem per virtutes & potentias naturales. v. g. *homo eſt Ens, quod poteſt loqui, quod poteſt ſe locô movere, quod poteſt diſcurrere &c.*

Decimo. Cùm alia ſit definitio nominis, alia rei, ſtatim habebis definitionem rei pro poſitæ, ſi dicas: *Per hoc nomen, vel per hanc vocem intelligunt Onomaſtici hoc vel illud &c.* Et huc pertinet

Undecimo. Definitio per Etymologiam, v. g. quid eſt homo? *homo* eſt dictus ab *humo;* quia primus homo factus eſt ex humo. *Virtus* dicitur à *viro &c.* Et ſimilibus ſæpe utitur & *Ariſtoteles* & *S. Thomas*

Duodecimo. Potes rem deſcribere per Synonyma. v. g. quid eſt *enſis? eſt idem, quod gladius &c.*

XIII. Potes definire rem per Epithetum aliquod hoc modo: quid eſt *Salomon? eſt Sapientiſſimus inter Reges Iſraël.* Quid eſt *Tullius? eſt inter Romanos eloquentiſſimus.*

XIV. Potes rem propoſitam definire per Metaphoras v. g. quid ſunt *ſtellæ? ſunt Cœli lampades, &c. Sunt lumina Argi centoculi &c.* Quid eſt homo? *eſt bulla & umbra.*

ARTICULUS. IX.

Reliqua Adjumenta.

XV. POtes rem propoſitam definire per *Artem Analogicam,* de qua ſupra *Parte III.*

Quid

Quid eſt homo in Mundo? *qualis Incola in Domo &c.* Quid eſt homo in terra? *qualis Deus in Cœlo, &c.*

XVI. Potes rem propoſitam definire dividendo illam in partes, & dicendo v. g. Quid eſt homo? *eſt Ens, quod habet manus, pedes, caput, brachia &c.*

XVII. Potes rem definire vel per *negationem pefectionum*, vel per *negationem imperfectionum.* Exemplum *primi*, habemus in Ariſtotele; Quid eſt *materia prima? non eſt quid, non eſt quantum, non eſt quale &c.*

Exemplum *ſecundi* habemus in S. Dionyſio Areopagita: quid eſt DEUS? *non eſt ſubſtantia? ſed ſuper-ſubſtantia; non eſt Sapientia, ſed ſuper-Sapientia; non eſt veritas, ſed ſuper-veritas; non eſt Sanctitas, ſed ſuper-Sanctitas. &c.*

XVIII. *Abſtracta* potes definire *per concreta* & concreta per *abſtracta.* Exemplum *primi* habemus in Ariſtotele: quid eſt *anima?* eſt *actus corporis organici &c.* Exemplum *ſecundi*: quid eſt *album?* eſt *habens albedinem.*

XIX. Pro accidentibus definiendis hoc nota ex *S. Thoma*: Si *accidentia* in *abſtracto* ſumpta vis definire? pone *ſubjectum* loco *differentiæ.* v. g. quid eſt *ſimitas?* eſt *curvitas naſi.* Si autem *in concreto?* pone formam loco differentiæ: v. g. Quid eſt *naſus ſimus?* eſt *naſus habens curvitatem.* Vel *differentias accidentium* deſume ab illorum effectibus. v. g. quid eſt *albedo?* eſt *color diſgregans viſum.* Quid eſt *nigredo?* eſt *color congregans viſum &c.*

XX.

XX. Deniq; adverte, quòd definire vel deſcribere rem propoſitam poſſis per omnia 10. *prædicamenta*, ut *in ultima Parte* exemplô docebitur.

Et hæc interim ſufficiant. Exerce, quæ dixi, & diſces experientiâ non eſſe tam abſtruſam propoſitionem, cujus *ſubjectum* & *prædicatum definiendo* non poſſis conſequentias expeditè inferre.

ARTICULUS X.

An etiam Diviſio conducat ad Artem noſtram.

NOta *primò.* Ratio dubitandi eſt; quia *Philoſophus* 1. *prior.* poſtquam tradidit *Artem* probandi concluſiones omnes propoſitas, rejicit errorem *Veterum*, qui dixerunt totam hanc Artem *in Diviſione* comprehendi, aitque, quòd diviſio hujus Artis parvam aliquam particulam comprehendat, vel enim eſt propoſitio *affirmativa*, vel *negativa* probanda.

Si *affirmativa*; v. G. hæc; *homo eſt mortalis.* Syllogiſmus per diviſionem ſic ſtabit: *omne animal vel eſt mortale, vel immortale. Sed homo eſt animal.* Quid ſequitur? *Ergo vel eſt mortalis vel immortalis.* En! illata propoſitio non probatur, ſed petitur. Similiter *negativa* non probatur per viam diviſionis. Nam dicendo: *vel hoc, vel illud,* ſicut non concluditur *Pars affirmans*, ità nec *removens*, ſive *negans.* Igitur.

Nota ſecundò. Per diviſionem non poteſt demonſtrari, *quid ſit res?* probat *Ariſtoteles* ſic 2. *poſt:* quia per viam diviſionis non poteſt fieri ſyllogiſmus, in quo poſitis præmiſſis neceſſariò ſequatur

Con-

Concluſio. Nam vel diviſio eſt per membra *contradictoria*, vel *non per contradictoria*.

Si per *contradictoria.* ſic: *homo eſt vel mortalis vel immortalis. Sed non eſt immortalis. Ergo mortalis.* tunc petitur principium, & probamus unam partem contradictionis per negationem alterius, *hoc eſt*, probamus idem per idem. Nam adverte hunc Syllogiſmum. Si *mortale* opponitur contradictoriè *immortali*. Ergo *immortale* eſt idem, quod *non eſſe mortale.* Ergo ſic arguo: *homo non eſt non mortalis. Ergo eſt mortalis.* Accipitur ſcilicet hic ly *immortale* pro termino purè *negante*, non pro *infinitante*, ùt famoſiùs ſumi ſolet.

Si autem non *per contradictoria* ſic: *homo eſt vel rationale vel rugibile. Sed non eſt rugibile. Ergo rationale.* tunc etiam non eſt concluſio neceſſaria; quia in *majori* non ſunt omnes *ſpecies animalis* enumeratæ; & patet hoc exemplo inductionis. Si dicam: *hic Ignis calefacit, ille ignis calefacit. Ergo omnis.* non eſt neceſſaria Concluſio; quia non ſunt enumerati omnes ignes in *Antecedente*. Si autem addam in *Antecedente*: *& ſic de ceteris.* tunc peto Principium, & probo idem per idem. Igitur.

Nota tertio. Ex *Ariſtotele 2. poſt. de inventione definitionis t.* 19. quamvis per diviſionem aliquomodo inveſtigemus, *quid ſit res?* non tamen demonſtramus, *quid ſit res? Diviſio* nihilominus utilis eſt ad duo. 1. ut prædicata quidditativa, quæ in re definienda quæro, ſumantur ordinatè. 2. ut nullum omittatur talium prædicatorum. & conſequenter, ut definitio non ſit diminuta. Hinc.

Nota quartò. Quòd omnino ad *Artem noſtram Univerſalem* multum ſerviat *diviſio.* Et ſæpiſſimè utitur illâ *Ariſtoteles* & *S. Thomas.* Quare, ſi ex *propoſita* tibi *propoſitione* vel probanda vel oppugnanda, vis deducere conſequentias, non tantùm invenies conſequentias *definiendo ſubjectum & prædicatum*, ſed etiam *eadem dividendo.* Quare, ut etiam expeditiùs *dividas*, addam paucula.

ARTICULUS XI.

Adminicula ad expeditiùs dividendum.

D*Iſtingunt aliqui* diviſionem à partitione & partitionem *vocant* anatomiam rerum, *quâ res dividitur in partes, ex quibus conſtat. Ego hic utrumque confundo, & ſequentia ſuadeo, quæ tibi marmore durius imprimas ad conſequentias celerrimè deducendas.*

Primò Vide, an rem propoſitam poſſis dividere *diviſione potentiali?* hæc autem diviſio eſt diviſio totius potentialis in partes, quas actu non habet: *ùt generis in ſpecies, v. g. Animal aliud eſt homo, aliud brutum.* Item *ſpeciei in Individua*, ùt: *homo alius eſt Petrus, alius Paulus &c.* Item *analogi in ſua analogata*, quæ ſpectat ad *Artem Analogicam.* ùt: *homo alius eſt verus, alius pictus. &c.*

Secundo Vide, an rem propoſitam poſſis dividere *diviſione Virtuali?* hæc autem diviſio eſt totius virtualis, quod non eſt quantum *mole*, ſed quantum *virtute.* ùt: *animæ alia virtus eſt memoria, alia voluntas.*

Ter-

Tertiò Vide, an rem propoſitam dividere poſſis *diviſione actuali*? [hæc autem diviſio eſt totius actualis in partes, quibus actu conſtat. Vel in *partes eſſentiales*, ùt: *hominis alia pars eſt anima, alia corpus*. Vel in *partes integrales*: ùt *hominis pars alia eſt caput, alia pes &c.*

Quartò Vide, an rem propoſitam dividere poſſis *diviſione accidentali*? Vel *ſubjectum in accidentia*, ùt: animal aliud eſt nigrum, aliud album. Vel *accidens in ſubjecta*, ùt: *Album aliud eſt Cygnus, aliud lilium*. Vel *accidentis in accidentia*: ut: *dulce aliud eſt flavum ùt mel, aliud album, ùt ſaccharum.*

Quinto Vide, an res propoſita poſſit dividi *diviſione nominis*, in ſuâ ſignificata? ut: hujus nominis *canis* aliud ſignificatum eſt *ſtella*, aliud *piſcis marinus*, aliud *animalis terreſtris*. Et hanc diviſionem crebriùs in *S. Thoma* lego.

ARTICULUS XII.

Plura Adminicula ad expeditè dividendum.

HÆc quæ ſequuntur, in præcedentibus quidem implicantur, nihilominus paulò explicatiùs.

Primo. Potes facere diviſionem per *Prædicamentum Subſtantiæ*, ſeu per 4. cauſas. ut: Spectatâ *cauſâ finali*: *homo alius eſt ſalvus, alius damnatus*. Spectatâ *cauſâ efficiente*, unus eſt ab *homine*, ut Petrus, alter eſt à Spiritu Sancto, ut Chriſtus. Spectatâ *cauſâ formali* ùnus eſt *perfectus*, alius *monſtroſus*. Spectatâ *cauſâ materiali* unus eſt *ex terra*, alius *ex ſemine*.

Secundo. Per quantitatem. ut: Alius eſt parvus, alius magnus.

Tertio. Per qualitatem. ut: Alius albus, alius niger.

Quarto. Per Relationem, ut: Unus eſt Dominus, alter Servus.

Quinto. Per actionem. ut: Alius ſcribit, alius dormit. &c.

Sexto. Per paſſionem, ut: Alius verberatur virgâ, alius ferulâ.

Septimo. Per quando, hoc eſt, per *Tempus.* ut: Unus vixit tempore Cæſaris, alius tempore Nabuchodonoſoris.

Octavo. Per ubi ſeu *locum,* ut: Unus eſt intus, alter foris.

Nono. Per ſitum. Unus ſtat, alter ſedet.

Decimo. Per habitum Unus mitratus eſt, alter pileatus eſt.

Et ſic explicit *Pars octava de Arte noſtra Univerſali*, quæ certè *Ars artium* eſt & *univerſalis Scientia Scientiarum* omnium. Quænam enim eſt tam univerſalis Ars aut Scientia, quæ hacce non egeret? Ipſe *Kicherus*, dum Artis *Lullianæ* Principia in praxim deducit, eâ crebrò ac ità ſtudioſè utitur, quaſi ſinè illa ſe actum agere putet. Utere igitur & tu, *fruerèque*, hoc eſt, *fructus*, qui à *fruendo* dicitur, hujus Artis percipe. Ut autem hoc melius fiat, ſit

PARS NONA.

Ars propoſita in præcipuis Scientiis & Artibus per exempla monſtratur.

Oſtendimus iter per præcepta, *nunc monſtrabimus viam* per exempla, *quæ brevior eſt. Adducemus autem exempla quàm ſimpliciſſima, ut Tironi conſulamus.* Amabo! *lege ſequentia, & non poteris non advertere, quomodo propoſitâ quacunque Quæſtione ad inveniendam ejus veritatem conſequentiæ deducantur per continuam ſubjecti ac prædicati definitionem deſcriptionemve. Verbô quomodo ea, quibus Artem Analytico-Syntheticam illuſtrare conati ſumus, perfacile in praxin deducantur.*

Unum præfari videbatur oportere, me ſcilicet non omnia exempla ſequentia per modum demonſtrationum adducere; nec animo quaſdam controverſias ſeu jam Theologorum ſeu Juriſtarum &c. definiendi, verbô in exemplis non requiritur ſemper veritas.

ARTICULUS I.

Exempla Theologica.

I.

Ex Sacra Scriptura.

Fundamentum ac *baſis* Totius Theologiæ *Sacra Scriptura* eſt. Cujus expoſitioni quàm *Ars propoſita* ſit non tantùm utilis, ſed & neceſſaria, manifeſtum tibi facient plerique omnes *Sacri*

Inter-

Interpretes. Hi namque in quavis *pagina*, imò ſæpe *linea*, utuntur hac Arte ſic, ut in quovis *Sacræ Scripturæ* verbo hæreant & quærant: *quid nominis? quid rei?* & ità quidlibet definiendo deſcribendove, ſeu jam *literaliter* ſeu *allegoricè*, ſeu analogicè, ſeu *tropologicè*, multifarias è Sacris textib9 conſequentias deducunt. Unde ſupervacaneum eſt hujus exemplum adducere, cum vel obiter *Interpretes* inſpicienti actutum innumera ſeſe offerant. Adducam ſolum unicam è Doctore Angelico quæſtionem.

Quæſtio: Cur homo dicatur factus de limo terræ? eruitur hoc *analyticè* per definitiones *hominis*, *limi*, & *eorum*, *quæ inde ſequuntur*, ut rationem 1. *p. q.* 91. *a.* 1. ☉. poſitam conſideranti patebit. *Eruamus igitur quæſitum:*

Homo eſt parvus Mundus.

Ergo inveniuntur in illo aliquô modô omnes res Mundi.

Ergo etiam quatuor elementa.

Ergo homo eſt mixtum & mixtum vivens.

Ergo, cum vita præſertim conſiſtat in calido & humido, prædominantur in hoc mixto ignis & aer ſecundum virtutem.

Ergo, cùm in mixto debeat eſſe mixtionis æqualitas, & in hoc mixto prædominentur ignis & aer, conſequenter debent alia duo elementa, utpote minoris virtutis, abundare in homine ſecundum ſubſtantiam.

Ergo in homine abundat mixtum ex aqua & terra.

Ergo patet ratio: cur homo dicatur eſſe de limo terræ. Limus enim eſt terra aquæ permixta.

En, mi Lector! quomodo inveniatur Analyticè quæſtionis propoſitæ veritas per conſequentias definiendo deſcribendóve deductas. Quas ſi poſt inventionem analyticè factam in Syllogiſmos redigas, promptè & oppugnaveris & propugnaveris. Sed expanſiùs in ſequentibus.

II.

Ex Theologia Scholaſtica.

1\. *p. q.* 2. *a.* 1. ☉. & *q.* 3. *a.* 4. ☉

QUÆSTIO: *an Deum eſſe, ſit per ſe notum ſecundum ſe?* ſupponamus eſſe verum.

Reſolutio.

Sit ità. Nota ſit per ſe ſecundùm ſe hæc propoſitio: DEUS *eſt.*

Si hoc; Ergo in hac propoſitione includitur prædicatum in ratione ſubjecti: hoc enim eſt eſſe propoſitionem notam per ſe ſecundùm ſe.

Si hoc? Ergo eſſe includitur in ratione DEI.

Si hoc? Ergo eſſe DEI non eſt aliud ab eſſentia DEI.

Si hoc? Ergo eſſe DEI non eſt cauſatum ab alio: quidquid enim eſt in aliquo præter eſſentiam ejus, oportet eſſe cauſatum ab alio, cum nulla res ſufficiat, ut ſit ſibi cauſa eſſendi, ſi habeat eſſe cauſatum.

Si hoc? Ergo DEUS eſt à ſe & prima cauſa. *Quod eſt manifeſtum: omnes enim per ly* DEUS *intelligunt ens à ſe, cauſam primam &c.*

Hòc modò ex ſuppoſita datæ propoſitionis veritate veritatem inventam ſic pono per compoſitionem regrediendo per omnia antecedentia uſque ad ipſam propoſitionem, quam probare oportebat.

Compoſitio.

Manifeſtum eſt DEUM eſſe ens à ſe, & cauſam primam.

Ergo DEI eſſe non eſt cauſatum ab alio: quidquid enim &c.

Ergo eſſe DEI non eſt aliud ab eſſentia DEI.

Ergo eſſe DEI includitur in ratione DEI.

Ergo in hac propoſitione: *DEUS eſt*, prædicatum includitur in ratione ſubjecti.

Ergo eſt nota per ſe ſecundùm ſe hæc propoſitio: *DEUS eſt*, quod erat oſtendendum.

Mi Tiro! poterant hæc brevius dici; ſed ideo non diximus brevius, quia tibi. Sufficit, quòd videaris agnoſcere, quomodo per conſequentias Analyticè deductas inveniatur veritas. id quod deinde in Syllogiſmos redigendum, ſi argumentari allubet.

III.

Ex Theologia Controverſa.

DIcit Græcus: *Chriſtus in ultima Cœna uſus eſt pane fermentato.* Hanc propoſitionem Latinus vult falſam oſtendere. Supponat itaque illam eſſe veram & inferat tam diu conſequentias, donec deveniat ad aliquod abſurdum hoc modo:

Deductio ad impoſſibile.

Sit ità. Uſus ſit Chriſtus in ultima Cœna pane fermentato.

Ergo in ultima Cœna Chriſti licebat adhuc Judæis inferre fermentum in domum.

Ergo ultima Cœna Chriſti non fuit in ullo die Azymorum.

Ergo ultima Cœna Chriſti non potuit eſſe decimâ quartâ die primi Menſis; veſpere enim diei decimæ quartæ incipiebat primus dies Azymorum;

Ergo ante diem decimum quartum fuit ultima Cœna Chriſti.

Ergo ad ſummum die decimo tertio; quod, ni fallor, tenent Græci.

Ergo ultima Cœna Chriſti non fuit pridie diei decimæ quintæ.

Ergo ultima Cœna Chriſti non fuit pridiè, quàm Chriſtus pateretur: vera enim & communis Patrum ſententia eſt, Chriſtum paſſum eſſe decimâ quintâ die, hoc eſt in ipſa ſolemnitate Paſchali.

S*ed hoc eſt abſurdum.* Nam Sacer textus ſic habet: *pridiè, quàm pateretur, accepit JEſus panem, &c.*

Ergo & omnia antecedentia ſunt abſurda.

Ergo & primum.

Ergo non eſt verum, quòd Chriſtus in ultima Cœna Pane fermentato ſit uſus. Quod erat oſtendendum.

Hoc iterum in gratiam tui mi Tyro diffusè. Ubi volueris per conſequentias ad abſurdum devenire, inſpice & fac ſecundum exemplar.

IV.

Ex Theologia Morali.

22. q. 111. a. 1. ☉.

QVÆSTIO: An ſit vera propoſitio: *Omnis ſimulatio eſt peccatum.* Suppono contradictorium eſſe verum & ità conſequentias infero eouſque, dum inveniam veritatem.

Reſolutio.

Non ſit ità. Sed *aliqua ſimulatio non ſit peccatum.*

Ergo

Ergo non ſemper eſt peccatum, quando aliquis per ſigna factorum aut rerum aliquid ſignifi at contrarium ejus, quod in eo eſt; hoc enim eſt ſimulare.

Ergo aliquod oppoſitum virtuti veritatis non eſt peccatum. nam de virtute veritatis eſt, ut quis talem ſe exhibeat per ſigna exteriora, qualis eſt; ſigna autem exteriora ſunt verba & facta.

Ergo aliquod mendacium non eſt peccatum: omne enim oppoſitum virtuti veritatis ſive in verbis ſive in factis eſt quoddam mendacium.

Ergo non eſt verum dicere: *omne mendacium eſt peccatum*, id quod aliunde probatum & manifeſtum eſt. igitur inventâ veritate regredior.

Compoſitio.

Verum eſt: *omne mendacium eſt peccatum.*

Ergo falſum eſt: *aliquod mendacium non eſt peccatum.*

Ergo falſum eſt: *aliquod oppoſitum virtuti veritatis non eſt peccatum.*

Ergo falſum eſt: non eſt ſemper peccatum, quando aliquis per ſigna factorum aut rerum, &c.

Ergo eſt falſum: *aliqua ſimulatio non eſt peccatum.*

Ergo verum: *omnis ſimulatio eſt peccatum.* quod erat oſtendendum.

ARTICULUS II.

Exempla Juridica.

I.

Ex Jure Canonico.

Zoeſ. comment. in L. III. Decretal. Tit. 38.

QUÆSTIO: *An Patronus poſſit ſeipſum præſentare?*

Sit ità, Patronus præſentet ſeipſum.

Ergo Patronus ſibi ipſi dat beneficium : nam præſentatio, ad beneficium ſpectat.

Ergo falſum eſt, quòd beneficium non niſi inter duos locum habeat.

Ergo non valet *c. fin. inf. de inſtit.* ubi inter dantem & accipientem debet eſſe diſtinctio.

Atqui hoc abſonum eſt, & dici nullatenus debet.

Ergo & antecedentia abſona ſunt.

Ergo & primum abſonum eſt, quod *Patronus præſentet ſeipſum.*

Ergo contradictorium eſt verum:

Patronus non præſentat ſeipſum, quod erat probandum.

II.

Ex Jure Civili.

Zoëſ. Comment. in Lib. VII. Digeſt. Tit. 4.

QUÆSTIO: *An moriente Uſufructuario ante collectionem fructuum, qui maturi, actio aliqua realis ad hæredem tranſeat?*

Sit ità. Tranſeat actio realis ad Hæredem.

Frgo actio in rem.

Ergo Hæres poteſt vindicare dominium ſuum in fructus.

Ergo accepit dominium in hos fructus ab Uſufructuario.

Ergo Uſufructuarius habuit in illos dominium.

Ergo Uſufructuarius fecit fructus ſuos ante collectionem.

Ergo poteſt Uſufructuarius facere fructus ſuos ſinè pereptione.

Atqui

Atqui hoc eſt abſurdum. *fructus* enim conſiſtunt *in facto fruendi l. arboribus.* 12. §. *fin.*

ARTICULUS III.

Exempla Medico-Chymica.

I.

Medicum.

Galen. in aphoriſm. Hippocr.

DIcunt Salernitani: *Sit brevis aut nullus tibi ſomnus meridianus.*

Febres, pigrities, capitis dolor, at-que catarrhus.

Hæc tibi proveniunt ex ſomno meridiano.

De ſingulis poteſt moveri quæſtio: *Cur?* unam diſcutiamus ſecundùm *Galenum*, ſcilicet *pigritiem*, & quidem analyticè ſic:

Reſolutio:

Sit ità: proveniat ex ſomno meridiano pigrities.

Ergo ex hoc ſomno apparet homo quaſi diſſolutus in ſeipſo: hoc enim præſtat pigrities.

Ergo in omnibus motibus voluntarijs poſt hunc ſomnum erit quidam extremus languor

Ergo poſt hunc ſomnum erunt muſculi, tendines, & articuli ab exuberante humiditate obruti.

Ergo in ſomno meridiano hæc eò confluit.

Ergo in hoc ſomno cerebrum plùs æquô humectatur.

Ergo in hoc ſomno Spiritus vaporoſi ac craſſi copioſè ad cerebrum deferuntur.

Ergo in hoc ſomno materia antè in Stomachum introſumpta non ſat concoquitur, ſed manet cruda.

Ergo calor naturalis ventriculi in hoc ſomno debilior eſt, & in vigilia diurna fortior.

Atqui hoc verum eſt: quia *inter diu* educitur & expanditur ad exteriora, cùm *de nocte* propter circumſtantem aeris frigiditatem ad interiora refugiat. Et quia vigiliæ diurnæ præcipuè propter hoc commendantur, quòd exuberantem humorem exiccent & calor copiâ humorum non obruatur. Regredior igitur.

Compoſitio.

Calor naturalis ventriculi in ſomno meridiano debilior, &c.

Ergo in hoc ſomno materia introſumpta non ſat concoquitur.

Ergo in hoc ſomno craſſi & crudi vapores deferuntur ab cerebrum.

Ergo in hoc ſomno cerebrum plus æquô humectatur.

Ergo in hoc ſomno exuberans humiditas è cerebro defluit in tendines &c. *& ſic porro uſque ad primum*, quod ſupponebatur verum, & erat probandum.

II.

Chymicum.

QUÆSTIO PARACELSICA: *an quinta eſſentia ſeu balſamica in mixtis natura*, (ſi datur, ùt ajunt) *ſit cœleſtis non tantùm ἀναλογίᾳ, verùm etiam τῇ οὐσίᾳ?* Rolfincius *in Chymia in artis formam redacta* ſic arguit:

Sit ità. Sit balſamum in illa natura in mixtis ætherea *τῇ οὐσίᾳ.* Ergo

Ergo mixtis inerit corpus *ἀσύνβλητον*: tale enim eſt corpus æthereum cum elementis.

Ergo vel inerit *κατὰ μίξιν* vel *κατὰ παράθεσιν*, non *κατὰ παράθεσιν*: quia corpora naturalia non eſſent unum *τῇ οὐσίᾳ* & per ſe.

Ergo inerit mixtis *κατὰ μίξιν*.

Ergo ejuſmodi eſſentia & mixtum corpus ſunt *καθητικὰ καὶ ποιητικὰ ἀλλήλων*.

Ergo iiſdem agendi & patiendi qualitatibus eſſent inſtructa.

Ergo eadem conſtarent materiâ, ut patet *ex Philoſoph 2. de generat. & corrupt.* c. 6.

Atqui hoc eſt abſurdum, ùt ex eodem eſt notum.

Ergo & omnia antecedentia ſunt falſa.

Ergo & primum eſt falſum.

Ergo contradictorium eſt verum, ſcilicet: *ejuſmodi eſſentia non* eſt ætherea *τῇ οὐσίᾳ*.

ARTICULUS IV.

Exempla Metaphyſico-Phyſico-Logica.

I.

Metaphyſicum.

Ex Ariſt. 12. Metaph. t. 51.

QUÆSTIO: *an primum Principium ſit ipſa intellectio actualis?*

Reſolutio.

Sit ità, primum principium ſit ipſa intellectio actualis.

Ergo *adæquata origo* totius perfectionis eſt ipſa intellectio actualis.

Ergo *ens optimum per ſeipſum* eſt ipſa intellectio actualis.

Ergo ens, quod non poteſt habere ab aliquo diſtincto *perfectionem*, eſt ipſa intellectio actualis.

Ergo ens, quod non poteſt habere *intellectionem* per aliquod diſtinctum & tamen eſt intelligens, eſt ipſa intellectio actualis. *id quod eſt per ſe notum.*

Ergo fiat

Compoſitio.

Ens, quod non poteſt habere, &c. *ut in aliis exemplis regrediendo uſque ad primum* quod ſupponebamus eſſe verum.

Aliter.

Deductio ad abſurdum.

Non ſit ità. primum principium non ſit ipſa intellectio actualis.

Ergo, cùm ſit intelligens, intelligit per diſtinctam intellectionem.

Ergo perfectionem præcipuam habet ab aliquo diſtincto.

Ergo primum principium non eſt ens optimum per ſe.

Atqui hoc eſt abſurdum: primum enim principium, utpote primum, eſt adæquata origo omnis perfectionis. Ergo.

II.

Phyſicum.

Ex Ariſt. 6. Phyſic. t. 1. & 2.

QVÆSTIO: *an continuum componatur ex punctis Zenoniſticis*: arguit ſic Ariſtoteles.

Sit ità. Ergo v. g. linea componatur ex indiviſibilibus. Ergò

Ergo indiviſibilia vel erunt inter ſe *continua* vel *contigua*.

Ergo indiviſibilium *extrema* vel erunt *unum* vel *ſimul*.

Ergo indiviſibilia habebunt extrema.

Ergo, cùm ibi, ubi extremà ſunt, ſit aliquid ab extremis diſtinctum, erit aliquid & aliquid in indiviſibilibus.

Ergo indiviſibilia non erunt indiviſibilia. *id quod abſurdiſſimum eſt, &c.*

III.

Logicum.

Ex Ariſt. 1. de interpret.

QUÆSTIO: *An ex enunciationibus de futuris contingentibus altera ſit determinatè vera, altera determinatè falſa?* arguit ſic Ariſtoteles.

Sit ità. Sit neceſſe, ut ex his una ſit determinatè vera, & altera falſa.

Ergo eſt neceſſe v. g. ut ex his: *Socrates cras veniet, Socrates cras non veniet*, ſit una determinatè vera &c.

Ergo, ſi v. g. vera eſt affirmativa, neceſſe eſt, ut Socrates cras veniat: neceſſe eſt enim, ut ſi vera eſt affirmatio, quâ dicitur, quòd aliquid ſit, illud ſit.

Ergo impoſſibile eſt, ut Socrates cras non veniat *& ſic de aliis.*

Ergo omnia evenient ex neceſſitate.

Ergo nihil fortuitò, nihil caſualiter, nihil contingenter.

Ergo aufertur fortuna, caſus, contingentia, libertas.

At-

Atqui hoc *abſurdiſſimum* eſt.
Ergo & omnia antecedentia. &c. &c.

ARTICULUS VI.

Exempla Ethico-Oeconomico-Politica.

I.

Ethicum.

Ex Ariſt. Ethic. 10. c. 7. ad fin.

Vita contemplativa eſt vita maximè jucunda.

Reſolutio.

Sit ità, ergo vita *contemplativa* eſt maximè ſecundùm naturam hominis: hanc enim vitam vocamus maximè jucundam, quæ eſt maximè ſecundùm naturam viventis.

Si hoc? ergo *vita ſecundùm intellectum* eſt maximè ſecundùm naturam hominis.

Si hoc? ergo vita ſecundùm id, quod eſt optimum in homine, eſt maximè ſecundùm naturam hominis.

Si hoc? ergo vita ſecundùm id, ſecundùm quod homo eſt maximè homo eſt ſecundùm naturam hominis.

Atqui hoc eſt notisſimum: *illud enim, ſecundum quod aliquid eſt maximè id, quod eſt, eſt maximè illius natura.* Habes igitur demonſtrationem paratam. Regredere.

Compoſitio.

Illud ſecundùm quod aliquid eſt maximè id, quod eſt, eſt maximè illius natura.

Ergo vita ſecundùm id, ſecundùm quod homo &c.

Ergo

Ergô vita ſecundùm id, quod eſt optimum in homine &c.

Ergo vita ſecundùm intellectum &c.

Ergo vita contemplativa eſt maximè ſecundùm naturam hominis &c.

Ergo vita contemplativa eſt vita maximè jucunda, quod erat oſtendendum.

II.

Oeconomicum.

Ex Ariſt. Occon. 1. c. 1.

O*Economia eſt origine prior Politicâ, quamvis dignitate poſterior.*

Non ſit ità. Sit ergo verum contradictorium: *Oeconomia non eſt prior origine* politicâ.

Si hoc? ergo *facultas conſtituendi domum non eſt prior Polyticâ.*

Si hoc? ergo facultas conſtituendi domum non eſt prior *facultate conſtituendi civitatem.*

Si hoc? ergo *cùm illa facultas ſit prior, cujus opus eſt prius,* ſequitur, quòd opus facultatis conſtituendi domum non ſit *prior*, quàm opus facultatis conſtituendi civitatem.

Si hoc? ergo domus non eſt prior origine, quàm *civitas.*

Si hoc? ergo domus non eſt prius origine, quàm *multitudo domuum, agro & poſſeſſionibus ſufficienter abundans ad bene vivendum;* ſic enim definitur civitas.

Si hoc? ergo, cùm domus ſit pars multitudinis domuum, ſequitur, quòd pars non ſit prior origine quàm totum.

At-

Atqui hoc eſt *abſurdum.*
Ergo & omnia antecedentia ſurſum, uſque ad primum.
Ergo falſum eſt: *œconomia non eſt prior politicâ.*
Ergo verum, *quòd ſit prior.* quod erat probandum.

III.

Politicum.

Ex Ariſt. 3. politic. c. 3.

ALiud *eſt bonus Vir, aliud bonus Civis.*

Reſolutio.

Non ſit ità. ſed ſit idem bonus Vir & bonus Civis.
Ergo virtus propria boni Viri & boni Civis eſt eadem.
Ergo, cùm virtus propria boni Viri ſit *una* & *perfecta*, etiam Virtus boni Civis erit *una & perfecta*, conſiſtens nimirùm in prudentia perfecta comitantibus omnibus virtutibus moralibus.
Ergo, cùm virtus boni Civis dicatur per ordinem ad Rempublicam, omnes Reſpublicæ erunt æquè unæ & perfectæ.
Atqui hoc eſt falſum: ſunt enim diverſæ ſpecies Reipublicæ, quædam perfectæ, quædam imperfectæ. &c.

Compoſitio.

Reipublicæ ſunt diverſæ in perfectione.
Ergo cùm virtus boni Civis dicatur per *ordinem* ad Rempublicam, etiam virtus boni civis erit diverſa.
Ergo virtus boni civis non eſt una.
Ergo, cùm virtus boni Viri ſit una, non eſt eadem cum illa virtus boni Civis.

Ergo

Ergo non eſt verum, quòd ſit idem, bonus Vir, & bonus Civis.

Ergo *aliud, eſt bonus Vir, & bonus Civis.* quod erat oſtendendum.

ARTICULUS VI.

Exempla Mathematica.

His ſuperſedendum cenſeo. Nam plerique omnes Libri Mathematici exempla dabunt innumera vel primo tuo aſpectui. Cùm enim in pura Matheſi pleræque proprietates ſint eſſentiales & convertibiles, qui habet ultimam propoſitionem aliunde probatam, habet omnes antecedentes.

Id quod in *Geometricis* nimis quàm clarum eſt. In his reperies etiam interdum 300. propoſitiones ſeſe ordine conſequentes, quarum ultima deducetur ex penultima, & hæc ex antepenultima, & hæc ex proantepenultima &c. & ſic porro uſque ad ſecundam, quæ infertur ex prima, & prima ex primis principiis lumine naturæ notis.

Et ob hoc delicioſiſſimum filum conſequentiarum conſvêrat Divinus Plato dicere: *Quid fecit aut facit DEUS totâ æternitate?* ὁ Θεὸς ἀεὶ γεωμετρεῖ. Quæ omnia cùm Meridianâ luce, ùt ajunt, clariora ſint, manum de Tabula Mathematica. Accedit, quòd Mathematica ſemper velit comparere ſtipata figuris, quas tum temporis, tum libelli anguſtiæ non capiunt.

ARTICULUS VII.

Exempla Rhetorica.

Cogitabam hîc diffuſus eſſe ac oſtendere, quomodo per Artem *Reſolutorio-compoſitoriam* quivis

vis etiam mediocri ingenio præditus facilè poſſit *invenire*, & tam gratiosè *inventa diſponere*, ut oratio velut aureum filum fluat, aut velut aurea quædam conſequentiarum catena, ex annulo uno in alterum continuâ ſerie, influat. Et hoc quidem propinaturus eram *Lectori* ex ipſo fonte Eloquentiæ *M.T. Cicerone*.

Verùm cum Libellus, eos, quos conſtitueram, limites in quibuſdam partibus enormiter exceſſerit, Exempla hujuſmodi tempori meliori reſervo, ac interim *Lectorem* remitto ad *Analyſin Rhetoricam R. P. Martini du Cygne* AudomarenſisS. J. in qua *Ciceronis* Orationes omnes artificiosè reſolvuntur.

Accedit, quòd tota propè Pars, quæ ſequitur, curioſiſſimarum juxta atque utiliſſimarum noſtrarum πράξεων, potiſſimum Oratoriæ ſerviant, ad educendum facillimè in Eloquentiæ Campum pro quocunque propoſito Themate integrum etiam exercitum argumentorum.

Demum nemo, vel obiter apprehensâ Arte traditâ, nemo, inquam, non videt ocyus facillimum modum pro quocunque propoſito Themate inſtituendæ *inventionis ac diſpoſitionis*. Si nimirum ſecundum Regulas datas per definitionem deſcriptionemve ſubjecti ac prædicati in propoſito Themate conſequentiæ inferantur, quæ dein vel continâ ſerie, vel tranſultim *diſponantur* ac Elocutioni tradantur. Habet autem hic *Analyticus* modus *inveniendi diſponendive* inſuper hoc commodi, quòd non multum ſit Oratori laborandum de *connexionibus*: Hæ enim ſponte ſeſe hac viâ offerunt.

Mi-

Mirum autem, quantum & delectet & perſuadeat hoc filum conſequentiarum in expanſam Rhetorici campi planitiem cum figuris & tropis explicatum. Id quod abunde experientia docuit pridem, ac docet.

ARTICULUS VIII.

Exempla Poetica.

QUæ præcedente articulo *de Rhetorica dicta ſunt, etiam de* Poëtica, *ſi proſæ ſolutæ ligatam ſupponas, dicta ſunto. Nihilominus addam aliqua pro Exemplo de Tragœdia ex Ariſtotele Poet. c. 7. & 8.*

Primò. Prima præcipuàq; pars Tragœdiæ eſt *Fabula*, quæ habet 8. conditiones. Inter has una eſt *Unitas fabulæ.* Nimirum *fabula* debet eſſe una, cùm *Tragœdia* definiatur *imitatio actionis*, & non *imitatio actionum.* Unde *Ariſtoteles* rejicit eorum ſententiam, qui exiſtimant ad unitatem fabulæ ſufficere, ut circa unum hominem verſetur, aitque: cùm fabula ſit actio repræſentata, ut fabula ſit una, debet actio eſſe una. Multæ autem actiones ejuſdem hominis ſæpe ſunt ità diſparatæ & ità disjunctæ, ut ex ijs unum non fiat. Hinc ait ille: peccâſſe videntur omnes Poëtæ, qui ſcripſerunt *Herculeida*, *Theſeida* & ſimilia poemata, in quibus perſecuti ſunt actiones unius hominis, putà *Herculis &c.* exiſtimantes fabulam hôc ipsô unam eſſe, quia unius *Herculis* actiones deſcribuntur. E converſo *Homerus*, ſicut in ceteris excelluit, ità & in hoc excellens, vidit ad unitatem fabulæ non ſufficere, ut complectatur, quæ uni homini contigerunt, ſed requiri, ut repræſentet unam

 actio-

actionem. Ideo in *Odyſſea* non cecinit omnia, quæ *Ulyſſi* contigerunt, puta, quo pacto vulneratus fuerit in Parnaſſo; quo pacto ſimulaverit ſe inſanum, cum Græci conſpiratione factâ in unum exercitum contra *Trojanos* coirent, *quæ ità ſunt diſparata, NB. ut unum ex altero neq; neceſſariò, neq; veriſimiliter ſequi debeat*, ſed unam actionem *Ulyſſis* eſt perſecutus. Similiter de *Achille* in *Iliade &c.* Debet igitur fabula ità eſſe una, & imitatio actionis unius perfectæ ac totius, & actionis partes ità ordinatæ, ut unâ ablatâ vel mutatâ, auferatur & mutetur totum. *Ità Ariſtoteles.*

Ex his, nî fallor, ſole clariùs patet, quam Poeticæ non tantùm utilis, ſed & neceſſaria ſit Ars ſuperiùs propoſita ex dato Themate conſequentiarum deductiva, ut *unitas fabulæ*, contra quam tot σφάλματα committi videmus, habeatur.

Secundò. Ex conditionibus fabulæ una eſt *veriſimilitudo*, ait locô citatô *Ariſtoteles.* Ratio eſt, inquit ille, quia Poeſis non eſt narratio rei factæ, ſed imitatio actionis, quæ fieri potuiſſet. Ergo munus Poetæ eſt, non quidem narrare, quæ acciderunt, *NB. Sed ea referre, quæ potuiſſent accidere, & quæ neceſſariò vel veriſimiliter eveniſſent.* Unde ſi quis carminibus complecteretur ea, quæ habentur apud Herodotum, adhuc talis narratio non eſſet poetica, ſed hiſtoria. Magis ergo Poeta eſt inventor fabularum, quàm effector carminum. Non eſt autem neceſſe, ea facta eſſe, aut non facta, quæ Poeta canit, *modò referat veriſimilia, eô modô, quô veriſimile eſt ea facta fuiſſe, aut fieri potuiſſe.* Hoc enim præcipuum munus Poetæ eſt. *Ità Ariſtoteles*

Ex

Ex quibus iterum ſole clariùs patet, quàm utilis, imò quàm neceſſaria ſit Poeticæ, ars propoſita conſequentiarum deductiva. Quomodo enim aliàs *veriſimilia* cauet? &c.

ARTICULUS IX.

Exempla ex Artibus Illiberalibus.

I.

Ex Agricultura.

DUbitat aliquis: *An Opiliones in ſeptis longam ſtationem aebeant protrahere, præſertim in agro pinguiore?* videamus.

Si diu moretur in agro pinguiore Opilio, relinquet ibi *multum fimum.*

Si multum fimum? multum ſuccum & copioſum imbibet ager.

Si ager imbibat copioſum ſuccum, debebit illum digerere, alioquin ſuccus ille abiret in cruditatem.

Atqui contra experientiam eſt, quòd ager poſſit copioſum ſuccum digerere.

Ergo non prodeſt illi copioſus ſuccus.

Ergo non multus fimus.

Ergo non longa ſtatio Opilionis; ergo &c.

II.

Ex Arte Molitoria.

ADi *Molendinum & notabis in ipſis rotis mirè inter ſe connexis meras conſequentias circumrotari. Videamus molam aquaticam*

Primò. Per infundibulum infunduntur grana ſuper lapidem conterenda.

Ergo debet alius lapis ſupra hunc currere, qui grana conterat.

Ergo lapis iſte debet moveri v. G. à rotâ, quæ illum circumagat. Rota autem iſta lapidem circumagit, quia circumagitur ab alia rota, & hæc iterum ab alia &c. donec veniatur ad ultimam, quæ aquâ currente circumagitur.

Secundo. Quia grana contrita ſolvuntur in furfures & pollinem, debet fieri ſeparatio.

Ergo furfures alibi debent excerni, & alibi pollen.

Ergo fiat ciſta, in quam furfures utpote graviores decidant, & fiat ſubcerniculum v. G. Saccus cilicinus, per quem pollen non tam excidat quàm evolet.

Et ſic de ceteris artibus. ut conſideranti patebit. Hæc, quæ diximus, ſtudioſo Tironi ſufficient, ut videat, quomodo quæſita per Artem Analyticam inveniat. Veniamus ad Curioſas & utiles praxes omni hominum ſtatui, quas pleraſque nos ipſi ex præcedentibus omnibus Partibus deduximus.

PARS ULTIMA.

Praxes multùm curioſæ ac utiles expeditè diffuſeque de quocunque propoſito Themate diſcurrendi, diſputandi, quærendi, reſpondendi, ſcribendi, argutandi &c. ex Artibus per totum opuſculi decurſum propoſitis deductæ & pro colophone Curioſo Lectori ad uſum promiſcuè communicatæ.

PRAXIS I.

De quacunque quantumvis abſtruſa materia tam nume-

numeroſas Quæſtiones expeditè proponendi, ut etiam reſpondens pereruditus fatiſcere cogatur.

MODUS I. *per 9. illas Quæſtiones, quas Parte 5. explicui.* nam

Primo. Procede per illas Quæſtiones ordine. *An* illa res ſit? *quid* ſit? *cur? quanta? qui? qualis? ubi? quando? quibuſcum?*

Secundo. Exentera ſingulas Quæſtiones & toties interroga, quoties potes? v. G. per *an?* per *quid?* per *cur?* &c. habet enim, ut *locô citatô* oſtendi, quævis ex his 9. Quæſtionibus plurimas ſignificationes.

Tertio. Reſpondens ad ſingulas quæſtiones adferre debet propoſitionem, in qua res propoſita eſt *ſubjectum*, cui reſpondens addit *prædicatum* interrogationi congruum. Igitur iterum illud *prædicatum* per 9. quæſtiones dicto modo exentera.

Quarto. Ipſas Quæſtiones ſingulas ſingulis applica. v. G. quæris: *quantum?* de hoc ipſo *quanto* quæri poteſt: *an? quid? cur? qui? ubi? quando? quibuſcum.* Quæris. *ubi?* de hoc ipſo loco quæri poteſt: *an? quid? cur? quantum? qui? quando? quibuſcum?*

Plura de hoc *modo* non adduco. Si hæc ſola ſervaveris, auſim dicere, te tot interrogationes ſinè omni defatigatione capitis expeditè facturum, ut nec dies, nec hebdomada ſufficiat, & reſpondens fatiſcere cogatur.

MODUS: II. *Per Artem Analytico-Syntheticam Parte 8. traditam.* Quidquid enim tibi reſpondetur, non eſto contentus; ſed pete ſemper, *quid*

ſit id, quod reſpondetur? Verbo, pete ſemper vel definitiones vel diviſiones reſponſi. Sanè hoc modo nos quiſpiam ſæpius ità defatigavit, quærendo etiam ſuper unica propoſitione, ut tandem uſq; ad 40mam. definitionem veniremus, perventuri ad plures, ſi porrò patientes in reſpondendo fuiſſemus.

MODUS III. Inſtitue Quæſtiones *per Principia Artis Lulliano-Kircherianæ.* quòd ſi inſuper *Artem combinatoriam* adhibueris tum in hoc, tum in ceteris modis, certè Quæſtionum abyſſum aperueris.

PRAXIS II.

Modi argumentandi etiam longisſimo tempore de unare, ità, ut materia nunquam deficiat, nec medius terminus mutetur.

PRimo. Præſtatur hoc optimè, expeditè, & planè, per Artem Analytico-Syntheticam, ſemper definiendo, deſcribendove ſubjectum & prædicatum illius propoſitionis, quæ probanda vel oppugnanda eſt. v. G. Eſt theſis: *materia prima eſt pura potentia.* Defini *materiam I.* & definitionem pone in *majori.* v. G. ſic: *Subjectum primum eſt materia I.* in minore: *Sed pura potentia non poteſt eſſe Subjectum primum. Ergo materia prima non eſt pura potentia. Jam:* vel negabitur *major*, vel *minor*. Si *major*? iterum defini ipſam definitionem v. G. *Subjectum I.* & novam definitionem pone in *majore.* in *minore*: Sed *hoc convenit materiæ primæ.* Ergo. Si *minor*? defini *puram potentiam* & definitionem pone in *Majore.* In *minore*: Sed *hoc*

hoc non convenit Subjecto I. Ergo pura potentia non eſt Subjectum I. Et ſic conſequenter.

Nota, te in *Dialecticis* ſive in probabilibus, & in utramq; partem diſputabilibus, hoc modo ſinè fine argumentari poſſe. Si verò *demonſtrativè* procedas; non potes ſinè fine, ſed pervenies ad principia innegabilia. Quòd ſi tamen etiam demonſtrativè procedendo vis longo tempore argumentari, incipe altiſſimè, v. G. à 50. conſequentia diſtante per 50. alias à Principio innegabili, ad quod venire intendis.

Secundo. Præſtari poteſt id ipſum per Artem Lullianno-Kircherianam, ſi propoſitam theſin probes *per B.* & hanc *per M.* & hanc *per D. &c.* & ubi ad ultimum deveneris, iterum ultimum proba per medium, hoc per primum, hoc per penultimum, hoc per ſecundum &c. & ſic conſequenter per *artem combinatoriam* omnia multifariè permiſcendo. Cùm enim omnes illi termini ſint inter ſe convertibiles, quemcunque demum ſumas pro quocunque probando, ſemper manebis in medio termino eodem ſinè defectu materiæ.

PRAXIS III.

Clavis Arcanorum compendioſiſſimà tribus literis comprehenſa, ad omne ſcibile & diſſeribile.

Melior in te fuero, ſi te, mi Lector, non ſuſpendero. Igitur

Nota. Hanc ipſam arcanorum clavim eſſe *unicam particulam* CUR? in qua tribus literis comprehenditur *quadruplex cauſa*: *Materi-*

terialis, *formalis*, *efficiens*, *finalis*. Has ſi obſerves, ad quamcunque Quæſtionem multis, variiſque modis promptam dabis reſponſionem.

Exemplum I. artificiale. *Cur domus eſt? Cur?* Architectus eam extruxit. *Ecce cauſam efficientem!* *Cur?* ideo fabricata eſt, ut homo in ea commodè contra aeris injurias habitare poſſit. *Ecce cauſam finalem.* *Cur?* ex lapidibus, terra, luto, lateribus &c. conſtituta eſt. *Ecce cauſam materialem?* *Cur?* habet formam quadratam, rotundam &c. *Ecce cauſam formalem!*

Exemplum II. morale. *Cur eſt Juſtitia?* Voluntas Principis influit effectivè in executionem Juſtitiæ. *En cauſam efficientem!* ut mundus Politicus in eſſe ſuo conſervetur. *En cauſam finalem!* Per Juſtitiam ſcelera hominum, & exceſſus improborum caſtigantur. *En cauſam materialem!* Forma Juſtitiæ eſt, ut reddat unicuique, quod ſuum eſt. *En cauſam formalem!*

Exemplum III. Phyſicum. *Cur triticum eſt?* Calor ſolis & influentiæ cœleſtes &c. materiam præparant in ordine ad formam. *En cauſam efficientem!* ad uſum hominis producitur triticum ut vivat. *En cauſam finalem!* Coagulatum fuit ex materia terrea, & ad recipiendam formam tritici diſpoſita. *En cauſam materialem!* conſtat ſuâ formâ triticeâ propriâ talis naturæ. *En cauſam formalem!*

Exemplum IV. Theologicum. *Cur homo juſtificatur?* gratia habitualis forma juſtificationis eſt. *En cauſam formalem!* voluntas peccatoris à DEO liberè averſa ad DEUM convertitur.

En

En cauſam materialem! DEUS voluntatem humanam impellit, & movet, ad ſe trahendo. *En cauſam efficientem*! Homo per gratiam aſcendit ad finem ſupernaturalem, *En cauſam finalem*!

Si inſuper ſingulas harum cauſarum *analyticè* exenteres definiendo ſemper & dividendo, ùt ſuperiùs docuimus, & per *artem combinatoriam* extrema cum extremis, aut extrema cum medijs, aut cum medijs media conjungas, innumerabilium diſcurſuum ſegetem vel de una re oriri miraberis.

PRAXIS IV.

De quacunque re propoſita ſtatim totum librum in capita dividendi cum uberrima tractandarum rerum materia.

PRimò. Quære, ùt dictum, 4. cauſas rei propoſitæ v. G. *Apum.*

Secundò. Singulas cauſas inventas per Principia Artis *Lulliano-Kircheriana* deduc, tum per abſoluta, tum per *reſpectiva*, & habebis 18. capita. *Jam* cuilibet capiti applica omnes 9. Quæſtiones: *an, quid, Cur*? &c. Et ecce! tibi, breviſſimo tempore *ex unica cauſa ſic deducta* exurgent 162. capita. Quot ergo habebis, ſi omnes 4. cauſas ſic déduxeris? & quod habebis ſi 4. cauſas rei ſumas ſecundùm variam ejus naturam? v. G. *Apum* ſecundùm naturã *elementarem, vegetalem, ſenſitivã.*

Exemplum in unica cauſa v.g. formali Apum.

Per Principia abſoluta	B.	*De diffuſione* & *communicatione* formæ Apum.
	M.	De illius *intenſione & extenſione.*
	D.	De *duratione &* conſiſtentia formæ.
	P.	De vi & *potentia* formæ in apibus.
	S.	De *inſtinctu* mirabili Apum.
	Vo.	De *appetitu* innato apum ad mellificium.
	Vi.	De *virtute* ſtupenda in laborando.
	Ve.	De *veritate*, quæ variis hiſtorijs ſtabilitur.
	G.	De *fine* apum in labore.
Per Principia reflexiva.	≡	De *differentia* apum & mellis.
	♡	De *concordantia apum* in laboribus.
	☍	De *contrarietate* apum cum fucis.
	∝.	De *Principio* intrinſeco ad mellificandum.
	⊙.	De *medijs*, quibus utuntur ad mellificium.
	ω.	De *fine*, in quem collimant.
	Ma.	De *excellentia* mellificii ſuper alia.
	Æ.	Quibus *aſſimilentur* in operationibus.
	Min.	De *defectu* & morte apum.

Ad ſingula ex his 18. applica omnes 9. Quæſtiones v. g. ad B. *an ſit* talis communicatio? *quid ſit* talis communicatio? *cur ſit? quanta ſit? &c.* Similiter *de M. de D. &c.*

PRAXIS V.

De quacunq; re propoſita ex tempore diſcurſum formandi.

PRimò. Fieri hoc poteſt ope *prædicamentorum Ariſtotelicorum*, ſi videatur, quid ſecundùm ordinem ex omnibus 10. prædicamentis rei propoſitæ conveniat? quid diſconveniat?

Secundò. Fit hoc ope *Artis Lullianæ.* ùt ibi oſtenſum.

Tertiò. Fit hoc ope unius hujus vocabuli *Cur?* de quo paulò antè dictum.

Qartò. Si 4. cauſas *Lullianis* Principijs applices, cujus rei ponam hîc

Exemplum. Sit diſcurrendúm *de fortitudine bellica.* Procede *ſecundùm 4. illius cauſas, & quamlibet deduc per Principia* 18. *& applica 9. Quæſtiones, ut dictum.* Igitur

Cogita. Fortitudo Bellica in quo conſiſtit? in prudenti quadam attemperatione timoris. immoderati, & exceſſivæ audaciæ. Ergo *cauſa materialis* eſt timor pudens, ac modeſta audacia. *Cauſa formalis* eſt illa attemperatio utriuſque. *Cauſa finalis*, DEUS, Religio, Salus Patriæ. *Cauſa efficiens naturalis*, ingenita homini generoſitas ad quæcunque DEI cauſa aggredienda; *ſupernaturàlis* influxus Divinæ Gratiæ.

Deinde ſume quamcunque cauſam v. G. *finalem* & applica ad 18. *Principia* ſic:

Illa virtus, quæ pro fine ſalutem Patriæ habet, eſt bona, magna, D. P. S. &c. Sed fortitudo bellica habet pro fine ſalutem Patriæ. Ergo eſt, B. M. D. &c,

De-

Demum, ſi placet, applica 9. *Quæſtiones* v. g. ſi *cauſam finalem* deduxiſti, cogita: *An ſit* bonum pro ſalute Patriæ ſe periculo vitæ exponere? *Quid ſit* in hunc finem ſe exponere? *Cur* talis expoſitio facienda? *quanta? qualis? qui? ubi? &c.* Et ſic de ceteris,habebiſque vel de una re diſcurſuum innumerabilium fontem inexhauſtum.

PRAXIS VI.

Modi ex tempore de quacunque Propoſitione argumentandi

N*On intelligitur, hæc Praxis ita, quaſi quivis Tiro hâc lege vel obiter inſpectâ ſtatim de quocunque ſcibili* ex tempore *ratiocinari poſſit. Sed prærequiritur Artium, quas nominabo, accurata perceptio, & ſaltèm aliqua exercitatio. Ceterùm hæc praxis ferè convenit cum ſecunda.* Igitur

MODUS I. Per *Artem Analytico-Syntheticam.* Inſpectâ quacunque theſi vel auditâ quacunque propoſitione ſtatim defini vel deſcribſe ſubjectum & prædicatum & habebis Syllogiſmum. *Negetur* tibi major, vel minor, iterum illius negatæ Propoſitionis ſubjectum & prædicatum deſcribe, & ſic conſequenter habes ſemper in promptu, quibus probes & quibus oppugnes. *Vide dicta* Parte *VIII. & IX.*

MODUS II. eſt per *Inductionem*, vel *per analogiam & à ſimili*, vel, per *repugnantiam* inter prædicatum & ſubjectum, quæ omnia ex ſuperioribus plana ſunt.

MODUS III. per *Artem Lullianam.* Figenda tibi ſunt in memoria illa Alphabeta, de quibus in Parte *VII.* unum *novem abſolutorum*, quæ

quæ in omni re reperiuntur: aliud *novem relatorum*, quæ in omni re ad manum ſunt. Tertium *novem ſubjectorum*, in quibus omnis res aliquomodo invenitur. & conſequenter factâ comparatione ad hæc ipſa 9. *ſubjecta* de omni re differi poteſt. *Item* in omni re ſpectanda eſt comparatio ad 9. *virtutes & vitia*, ùt ibidem habes. Hôc ſuppoſitô

Sit hæc theſis: *Homo eſt immortalis*. Si argumentare.

Per B. Si homo eſſet immortalis, præſertim *boni* deberen eſſe tales. Sed. Ergo.

Per M. prob. major. Si *boni* eſſent immortales, præſertim eſſent immortales ij, qui ſunt *maximè* ſecundùm bonitatem. Sed. Ergo.

Per D. prob. major. *Si maximi* eſſent immortales, plus *durarent*, quàm alii. Sed. Ergo.

Per P. *prob. major.* Si plus *durarent*, haberent aliquam *poteſtatem*, per quam plus *durarent*. Sed. Ergo.

Et ſic ordine per cetera; ſunt enim omnia convertibilia &c. *Vide dicta locô citatô.*

PRAXIS VII

Librum integrum, præſertim de alicujus vita, aut de quocunque propoſito themate cum facilitate memoriâ retinendi.

M*Ulti multa de arte memorandi.* Plerique valde commendant *memoriam localem*, cujus primus inventor habetur quidam *Simonides Ceus Poeta Lyricus*. Quam artem deinde complures illuſtrârunt, ùt ipſe *Cicero l. 3. ad Heren*, ex quo *Synopſis doctrinæ* fit hæc.

Dicunt

Dicunt illi: imprime phantaſiæ tuæ magnum aliquod Palatium, & in eo ampla cubicula, cellas, officinas, Pergulas, Hortos, Compluvia &c. Et hæc omnia quàm lucidiſſima. In quolibet cubiculo ſunt 4. anguli, & in medio centrum. *Jam*. Si quam orationem aut librum &c. legis audiſve, locô rerum, quas memoriâ retinere vis, colloca rerum ſimulacra ſeu imagines idoneas ordine progrediendo per cubicula palatii; & in quovis quidem cubiculo ad 4. angulos collocari poſſunt imagines 4. quinta in centro v. g. legis aliquid de *cane*, colloca in hoc vel illo loco *canem* cum aliquo inſolito accidente, ut vivaciùs pungat memoriam. v. g. *canem è ſublimi per caudam appenſum*. Si audias aliquid *de oratione*, colloca hominem junctis manibus, & flexis genibus &c. Porrò pro memorando *tempore* pone ſenem alatum, qui manu teneat horologium, pro ſingulis *menſibus* Signa Zodiaci &c. Verbô pro quibuſvis objectis idoneas pone imagines, ſive jam illæ res, quarum meminiſſe volo per ſe poſſint poni, ſive per formas ſimiles, per hieroglyphica &c.

Addunt. Si vis ipſorum verborum recordari, fac tibi familiare quoddam Symbolicum Alphabetum, in quo v. g. loco A. ſit *Aquila*, loco B. ſit *Bos &c.* vel Alphabetum veterum per membra corporis, ut A. per *aurem*, B. per *barbam*, C. per *capillum &c.* Et his ſymbolicis literis verba in parietibus palatij tui phantaſtici annota. *Vel* etiam, ſi verba pauca tibi notare vis, ordinarijs literis ea ſcribe; ſed prægrandibus, in pariete.

Et

Et ità fiet, inquiunt illi, ut etiam integram cum tempore in capite Bibliothecam circumferas. In quo artificio maximè mirum eſt, quòd omnia, quorum imagines tibi poſuiſti, vel à Principio ad finem, vel Principium versùs expeditè repetere poteris.

Mi Lector! verum eſt quod ij dicunt. Nos ipſi ſæpius *hujus Artis* experimentum fecimus, & etiam cum aliorum admiratione prælongas Exhortationes olim repetiimus; quia priùs in ambulacris Collegij ordine longo tum rerum, tum etiam multorum verborum imagines collocâramus. Sed, ut verum fatear, hæc ars ſuis incommodis non caret, & niſi cùm magna diſcretione adhibeatur, etiam integritatem capitis in non leve diſcrimen conjicit.

Quare pro praxi propoſita non intendi hanc artem tradere, ſed aliam facilem & minùs periculoſam ex Artibus hucuſque adductis.

Modus I. Familiaria tibi fac 10. *prædicamenta Ariſtotelis*, in quibus rerum omnium, quæ coſci poſſunt, *ſumma* continetur, & dum librum aliquem legis, præſertim de alicujus vita, quidquid reduci poteſt *ad ſubſtantiam*, reduc *ad ſubſtantiam*; quidquid *ad quantitatem*, *ad quantitatem* quidquid ad *relationem*, *ad relationem &c.* & experière te dein facillimè rerum omnium in libro contentarum memorem fore.

Modus II. Idem etiam fieri poteſt per *Principia Lulliano-Kircheriana*, ſi res, de quibus

au-

audis aut legis, ad ea permixtè reducere diſcas, Aut etiam ad 9. *Quæſtiones.* aut analogicè *ad 9. ſubjecta.*

PRAXIS VIII.

Modi ex tempore de quocunque themate concionandi ſive perorandi cum Exemplis.

NOn multi ſunt anni, & fuit Romæ quidam Concionator, qui artem de quocunq; propoſito Themate, ex tempore concionandi ſe callere dixit, & cum eximio ſucceſſu coram ſummo Pontifice, Cardinaliumque Collegio petitô à cathedra themate, experimentum fecit. *Item* celeberrimus quidam Advocatus *Alari* Pariſijs in hac arte plane mirabilis fuit.

Dabimus nos aliquot modos, quos tamen non ità intelligi volumus, ut quivis, qui in vita ſua nec audiendo, nec legendo, ullum rerum, ſcientiarùmque apparatum in memoria ſua ſibi comparavit, de quocunque themate ex tempore dicere poſſit. Quomodo enim ignem & focum animabit, qui nè quidem ullum lignellum, aliùdve, quòd comburi poteſt, ad manum habeat? Hoc cuivis prudenti patet ἀδύνατον eſſe. Sit ergo

MODUS I. Poteſt hoc præſtari vel per *Ariſtotelis Prædicamenta*, vel per *Decalogum Pythagoræ*, vel per *Artem Lullianam*, vel per *Analyticam.* Sed nolo his immorari, cùm partim ex dictis, partim dicendis *Lectori* manifeſta ſint; nec ego pro praxi præſenti vim in hiſce ponam. Sit ergo

MODUS II. *peculiaris & multùm amænus Artis Analo-*

Analogicæ ingenio ſui partus. Præcepti cardo fundatur, in eò quòd *quidlibet* ſit *in quolibet, in omnibus omnia.* Verbô fundatur in duobus; *in rerum ſimilitudine & diſſimilitudine.* Nam

Porponatur tibi aut terminus ſimplex, aut propoſitio pro themate, de quo diſcurrendum. *Sic operare*: Sume verſum aliquem notum, aut ſolutam aliquam ſententiam, aut rem quamcunque, & inſpectis vel obiter ſeu versûs aſſumpti, ſolutæve ſententiæ, ſeu rei cujuſcunque accidentibus, occurrent innumera *ſimilia* aut *diſſimilia*, quibus *thema* propoſitum deducere poteris. Verùm artem totam planam Exemplis, quæ *ex tempore* huc conjecimus, faciamus.

Exemplum I.

DAtur mihi *Thema*, ut dicam ex tempore *de Humilitate, quàm ſit accepta DEO?* accipio verſum quemcunq; mihi notum. v. G. primum *in l. I. Æneid. Ille ego, qui quondam gracili modulatus avenâ.* Et ſuggerem mihi 7. *argumenta*, quæ ſic diſponam ex tempore meo capite.

Pro I. puncto accipio in mente mea. *ille ego.* & video, quòd hæ *particulæ perſonas denotent, primam & tertiam.* Ergo *per ſimilitudinem* & *diſſimilitudinem ſubitò oſtendo Auditoribus ſequentia*: DD. AA! quid magis dominatur nunc in mundo, quàm reſpectus perſonarum? viliores contemnimus & abjicimus, nobiliores ſuſpicimus & adoramus, iiſq; ſæpe contra conſcientiam noſtram blandimur, imò eorum favorem, ipſius DEI gratiæ præponimus. Quàm aliter *ſancta humilitas*! *non reſpicit perſonam hominum*, ùt Chriſtus. tam libenter & libenti-

tis verſatur cum paupere & vili, quàm cum divite & nobili &c.&c quomodo ergo humilitas non placeat DEO, apud quem non eſt *diſtinctio Judei & Græci &c.* hoc eſt, nullus reſpectus perſonarum.

Inſuper addi poteſt ex hoc ipſo aliud. Igitur

Pro 2. puncto. iterum accipio: *Illt.* & video, quòd *Hic, iſte, ille; ſint particulæ, quæ aliquid oſtendunt. Ergo dicam*: quàm humilitas horreat audire: *hic vir, hic eſt.* quam durum ſit humili *digito monſtrari & dicier: hic eſt.* verbô quomodo fugiat humanas laudes & ſolum honorem apud DEUM quærat?

Pro 3. puncto Qui: eſt particula *reſpectiva.* Ergo *dicam*: quam humilitas *reſpectum* oderit? & è contra quam ſuperbia ſemper clamet: *reſpectus!* Apud DEUM autem unus eſt gratiſſimus reſpectus: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Hunc reſpectum unicum humilitas quærit. quam ergo grata DEO?

Pro 4. puncto. Quondam. hæc particula revocat mihi antiquiſſimum tempus, aut etiam æternitatem in memoriam. *Dicam ergo*: quomodo DEUS in mente ſua jam ante ſecula, & ab æterno *humilitatem* foverit in decreto, quo filium ſuum intendit mittere in terram, ut incarnaretur, & *exinaniret ſe formam ſervi accipiens &c.*

Pro 5. puncto. Gracili. hæc particula *tenuitatem* mihi denotat. *Dicam ergo*: quomodo ſuperbia ſe ſemper ampliet, & ſemper velit major eſſe; è contra humilitas ſe ſemper magis attenuat, & graciliorem reddit. Ita contrahit ſe & parva fit, ut fiat quaſi *indiviſibilis, unus ſpiritus cum DEO* indiviſibili primo &c.

Pro

Pro 6. puncto. *Modulatus.* Hæc particula revocat mihi *Muſicam* in memoriam. Ergo *dicam*: quomodo totus chorus virtutum ſit quidam chorus Muſicus; in quo *humilitas* canit *Baſſum*; & quomodo ſit totius hujus chori baſis & fundamentum; quam gratam ſymphoniam cum ceteris excitet in auribus Divinis &c.

Pro 7. puncto. *Avenâ* Hæc particula revocat mihi *plantam* in memoriam, quomodo creſcat? Ergo *dicam* quomodo humilitas creſcat? & quidem ad modum plantarum, quarum vita initium ſumit in humili terra; ſe ibidem radicando; & quò ſe humilitas cum plantis profundiùs radicat, & profundiùs deſcendit, eò ad DEUM & ejus gratiam altiùs aſſurgit &c.

Mi Lector! non dubito; quin ex hôc ſolo paradigmate percipias, quid velim dicere? nihilominus ſint adhuc paucula in Exemplum.

Exemplum II.

PRoponatur mihi *thema de Immaculata Conceptione.* Aſſumo repentè in mea mente verſum: *Quæ maribus ſolùm tribuuntur, maſcula ſunto,* vel quemcunque alium, & per analogiam ex quavis particula argumentum pro themate elicio. Id quod non rarò coram quibuſdam quibus poſtmodum artem aperuimus, in praxim deduximus. v. g. in re propoſita.

Quæ: Relativum eſt. Dico ergo: DD. A A.! quæ relatio MARIÆ ad JESUM? quanta Mater tanti Filii? & non *decuit* tantam Matrem ab omni macula præſervari?

Maribus. Hîc deſcribo, quàm hæc mulier benedicta *maſculinè* certaverit cum Dracone, cujus caput contrivit.

Solùm. Hic deſcribo Privilegium MARIÆ. quomodo *ſola* excepta fuerit à lege univerſali: *Pro omnibus hæc lex, non pro te.*

Tribuuntur. Hic deſcribo liberalitatem DEI. Erga quam creaturam liberalior fuerit quàm erga ſuam Matrem? quas non gratias illi tribuerit? & non tribuerit illi gratiam in 1. Conceptionis inſtanti? *Et ſic de ceteris.*

Exemplum III.

EST tibi dicendum ex tempore V. G. *de laude Principis.* Accipe orationem, quâ nobis nihil communius: *Pater noſter.* Et vel primus hujus orationis verſus ſuggeret 6. *puncta.*

Pater. *Oſtende*, quàm benignus, quàm Paternus ſit in ſubditos &c.

Noſter. *Oſtende*, quàm non dicat: *meum*, ſed *noſtrum*, totus bono univerſali intentus.

Qui. Quàm præclaras habeat Relationes, Similitudines &c.

Es. *Eſſe* eò perfectius eſt, quò minus habet *de non eſſe. Oſtende*, quàm virtuoſus, quàm perfectus ſit? quàm accedat ad eum, qui dicit: *ego ſum qui ſum.*

In. *Eſt propoſitio regens accuſativum vel ablativum.* Oſtende quàm præclare præpoſitus regat ſuos quàm det aurem non tantùm *accuſatori*, ſed & reo, quàm diligenter advertat ad caſus *ablativos* boni & utilitatis ſuorum.

Cœlis. Dic *Principatum* ejus eſſe cœlum, Ipſum verò *ſolem* ſiderum Principem, aut primum mobile. &c.

Exemplum IV.

PRoponitur mihi *thema de charitate*, ſuper quo dicendum eſt ex tempore. Accipio in mente mea verſum ex Pſalterio notiſſimum: *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis.* Et ſuggerit mihi ſubitò *argumenta octo*.

Dixit. *Oſtendam*, quàm *charitatis Eloquentia* ſit mirabilis, quâ erga DEUM dilectum ſuum utitur. quàm loquatur maximè, dum maximè tacet. corde, non linguâ &c. quàm alias habeat voces, quàm aliam linguam ex meris ſuſpiriis compoſitam. quænam ſit ejus Echo? &c.

Dominus. *Oſtendam charitatem* eſſe virtutum Reginam: *Major horum eſt charitas.*

Domino. In Dativo. Oſtendam liberalitatem *Charitatis*, quòd *det* ſe totam amato &c.

Meo. *Oſtendam*, quomodo charitas dicat idem ad dilectum, quod Chriſtus ad Patrem: *Omnia mea tua ſunt, & omnia tua mea ſunt.*

Sede. Hic diſcurram *de quiete Charitatis*. quàm non quieſcat, donec quieſcat in amato, quàm quieta ſit in omnibus ſuis motibus. &c.

A, eſt prima litera. Oſtendam amorem eſſe primum, etiam in Schola Chriſti primam conjugationē eſſe *Amo*, & quidem conjugationem ſinè *modis* Juxta illud: *modus amandi Deum eſt amare ſinè modo*

Dextris. Charitas non habet *dextram*, ſed *dextras*, & nihil ſcit de ſiniſtra. *Charitas patiens eſt;* quò illi pejus, eò melius. Eſt ambidextra in omnibus.

Meis. *Meum eſt poſſeſſivum.* Hic oſtendam, quàm charitas ſit fortis; quàm ſemper *ſit in poſſeſſione*, quàm

quàm ex illa non poſſit ejici ab ullis hoſtibus. *infernalibus fortis ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, &c.*

Exemplum V.

PRoponatur mihi *quodcunq; thema* v. G. *de laudibus viri Sapientis.* aſſumo in mea mente quamcunque rem vel cœlum, vel aliquid in cœlo, vel unum ex 4. Elementis, vel aliquid eorum, quæ ſunt in Elementis. Denique quamcunq; rem ſeu naturalem, ſeu artificialem, modò nota ſit mihi, & quò notior, eò melior ad propoſitum. Hanc ipſam volvo in mente, & video, quænam prædicata ſint in illa re? Et en ſubitò ejus prædicata mihi dabunt ſimilitudinem aut diſſimilitudinem & argumenta dicendi.

Ità nos aliquando coram quibuſdam, qui artem hanc â nobis relatam primùm ridebant, plura nobis propoſita themata totô cœlô diverſa per unicam *analogiam ad fornacem*, ad quam tunc ſtabamus, non ſinè eorum admiratine ex tempore deduximus. v. G. maneamus in propoſito themate *de viro ſapiente* & *in analogia fornacis*, quæ cùm videantur prorſus diſparata, nobis rem magis patefacient.

Primò. Aſpicio fornacem & video figuram quadratam. Et en datur mihi occaſio diſcurrendi ſubitò de *conſtantia virorum ſapientùm.* nam *figura quadrata* conſtantiam ſignat.

Secundò. Video fornacem compactam ex cacabis, tenaciter cohærentem. Et en! datur mihi occaſio de *conjunctione* virorum ſapientûm diſcurrendi, quam oderint ſciſſiones, diſſolutiones &c.

Tertiò. Video fornacem æſtimari non in ætate, ſed

ſed in hyeme. Et en! datur mihi occaſio dicendi, quomodo ſapientes ſoleamus tunc demum æſtimare, quando iis egemus, eorum conſiliis &c.

Quartò. Video, quod fornax intra ſe lucidiſſimum Ignem habeat, ſed nunquam ſine cinere. Et en! datur mihi occaſio dicendi de *luce & ſplendore Sapientûm* conjuncto cum modeſtia & humilitate: aut quomodo ſapientes inter omnes ſuos ſplendores ſemper meminerint *mortis*, cujus *meditatio* eſt vera *Philoſophia.* Sicut ignis in fornace poſt omnem ſuam lucem & calorem *cinerem* relinquit. Et ſic de ceteris. *Inſpice & fac ſecundum Exemplar.*

PRAXIS IX.

Modi orationem mentalem per horam, imo dies & ſeptimanas vel in uno verbulo protrahendi.

Refert Hiſtoria Indica de quodam Viro Apoſtolico Societatis JESU, eum etiam per centena in ſolitudinibus, quas itinerans inambulabat, miliaria ità hæſiſſe vel in primo verbulo Orationis Dominicæ *Pater*, ut ſibi poſt emenſa etiam centena milliaria vix videretur orationem mentalem inchoâſſe. Sciendum autem in *Oratione mentali* tres animæ potentias exerceri. *Memoriam* conſideranda memorando, *intellectum* eadem ruminando, *voluntatem* affectus, pro re nata, eliciendo, prælatâ ei ab Intellectu face, hoc eſt, *lumine practico.* At ut invenias ejuſmodi innumera, nota breviter ſequentia.

Modus. I. Sive textum, ſive hiſtoriam mediteris, adhibe 9. *Quæſtiones*, ut à nobis ſuprà declaratas:

ratas: *An? quid? cur? quantum? qui? quale? ubi? quando? quibuſcum?* & quærêris te tempore de ſtitui.

Modus II. Per *Artem Analytico-Syntheticam*, definiendo, deſcribendóve ea, quæ proponuntur meditanda. tam mira eáque practica lumina capies, & tam congruos affectus elicies, ut pro hujuſmodi delicijs Spiritûs menſem ſis optaturus.

Modus III. Deduc puncta Meditationis per *Principia Lulliano Kircheriana*, aut per 10 *prædicamenta*, à nobis ſuo loco declarata. Et ſanè materiam etiam ex puncto, quod ſterile videbatur, tam uberem erues, ut aurifodinas Peruanas inexhauſtas te inveniſſe ſis exiſtimaturus.

PRAXIS X.

Rem quamcunque expeditâ hypotypoſi deſcribendi.

SAnè ſumma inter Eloquentiæ decora, *Deſcriptiones* ſunt. quarum faciundarum artem invenio præclaram in *Prædicamentis Ariſtotelicis*. & nos perſæpe hâc arte uſi ſumus.

EXEMPLUM I. Vis *homulum* deſcribere? progredere prædicamentorum ordine ſic:

Subſtantia. Hîc pone definitiones. v. c. quid eſt homulus? videtur eſſe ludentis naturæ recreatio. nugari voluit repueraſcens natura talem ſibi puppam molita &c.

Quantitas. Quem vides, imò quem non vides, puſio eſt. Suo nomine brevior homo, veriùs Embryo; aut potiùs homuli fragmentum; quod ſi Geometrico digito metiri velles, inſtrumentum digitale majus videres &c. *Qua-*

Qualitas Deformis, an elegans ſit? neſcias. Tantillæ ſubſtantiæ neſcit color hærere &c.

Relatio. Si puſioni murem compares? mons eſt &c. Genitricem habuit, quæ ſola fœtu concepto non tumuit: neq; cùm peperit, ſe matrem ſenſit &c.

Actio & Paſſio. Non vir, *vires* non habet; quid agere poſſit? tam minutus, nec rarefieri, nec condenſari poteſt, quid pati poſſit? parvitas facit intactilem pugnô, inſectilem gladiô &c.

Duratio. Seculum tranſiliet Neſtoreum. mors collimat in majora, vix obſervat tam nulla. &c.

Ubicatio. In limacis cochlea habet amphiteatrum. Per acûs forulum ageret triumphum. &c.

Situs. An ſtet? an ſedeat? an jaceat? quis dicat? tangit planitiem in puncto. &c.

Habitus. Veſtimentum tantillo homini quantillum? ſufficiet ſpolium acini. *Et ſimilia complura congerit Theſaurus in ſuo Tubo Ariſtotelico.*

EXEMPLUM II. Vis *ſuſpenſum* v. g. Amanum in furca deſcribere? En!

Quantitas. Mortuus eſt longior, quàm vixerit. Ad 16. Græcam literam uno nodo ligatus, in pendulum l. extenſus. &c.

Actio & paſſio. Mortuus eſt cum ventis pugnando. Illi ſoli Parca filum non rupit, ſed in filo nodum fecit &c.

Situs. Mortuus eſt non jacendo, ſed altiùs omnibus eminendo. vitam habuit, quæ ab uno filo pependit. &c,

Locus. Juſtitiæ indiſſolubiliter obligatus ſub trabe periit, & ſub arcu ligneo in morte triumphavit. &c. *Et ſic de ceteris.*

Nos hâc arte centenas fecimus deſcriptiones, tum ſecundum prædicamentorum ordinem, tum eo per artem combinatoriam variè permutato. Id quod facilè cuivis occurrerit, ubi manum vel aliquoties admôrit.

PRAXIS XI.

Per Parabolas, Apologos & Fabulas quodcunque facilè proponendi.

Fit hoc per *Artem Analogicam Parte tertiâ* traditam, per quam mirum quàm ſuaviter veritas auribus illabatur, & in cordibus fortiter radicetur. Unde ipſa Veritas Incarnata crebro per *parabolas* loquebatur. Sed.

Cape praxin. Sume rem quamcunque ſimilem illi rei, quam declarare vis, v. g. vis declarare *vigilantiam*, & quidquid *vigilantia* faceret, aut loqueretur, hoc totum dic *oculum* feciſſe, aut locutum fuiſſe &c.

Melius. quaſcunque demum fabulas aut ſimilitudines dicere ſeu ſcribere velis, vide quænam *ſpecies* ſub illo *genere*, de quo fabulari deſideras, vel quod *Individuum* ſub *illa ſpecie*, de qua vis parabolice loqui, contineatur, in qua *ſpecie*, aut in quo *Individuo* maxime eluceat id, quod declarare deſideras. v. g. vis fabulari *de Aſtutia?* cum inter omnia aſtuta ſit aſtutiſſima *vulpes*, omnia, quæcunque *de aſtutia* dicere velles,

les, dic de *vulpe.* Si de *providentia*, omnia dic *de formica &c.*

Exemplum I. Vis oſtendere quàm *providentia* præſtet *otio delicioſo*? dic cum Æſopo: *Formica æſtate* colligebat alimentum, cùm interim *cicada* deliciaretur in gramine & modularetur. Adveniente hyeme dum *cicada* eſuriens eſcam à *formica* mendicaret, dixit *formica*: *In æſtate cantâſti, in hyeme ſalta.*

Exemplum II. Vis *bellicam fortitudinem* repræſentare? Sume Belliducem à fortitudine famoſiſſimum, putà Alexandrum, Scanderbegum &c. & omnia, quæ de fortitudine dicuntur, ei attribue. Sic fecit *Homerus*, qui omnia Præcepta Polemica per *Achillem* expreſſit, quemadmodum Politica per *Ulyſſen*, à quo ea omnia, quæ Politicæ congruunt, dicta factaque ſcribit.

PRAXIS XII.

Pari facilitate, Emblemata, Symbola, Hieroglyphica inveniendi.

FIt hoc itidem per *Analogicam Artem* eô ferè modô, quem pro praxi priori adduximus Nam.

QUID EST EMBLEMA? *Eſt Imago figurata ab Intelligentium natura ad mores, vitámque rei intelligentis unô conceptu clarè exprimendam translata.* Ità *Maſen.* Ex qua definitione nota ſequentia.

Primò. In omni Emblemate neceſſariò requiritur *ſimilitudo*, qualem in *Arte Analogica*

dc-

deſcripſimus. Igitur in praxi invenienda eſt ſimilitudo rei exprimendæ, vel ejus comparatio hiſtorica, vel contrarium & diſſimile: contraria enim contrariis oppoſita magis eluceſcunt, vel denique convenientia aliqua, aut alluſio.

Secundò. Res, ex qua ſimilitudo petitur, vocatur *protaſis.* applicatio vocatur *apodoſis.* Additur *lemma* ſive Inſcriptio, Subſcriptiove. v. g. pingitur Parthus fugiendo hoſtem vulnerans cum inſcriptione: *Fuga eſt victoria noſtra.* Exponi ſic debet: *ſicut Parthus fugiendo vincit*, quæ eſt *Protaſis*; *ità ego fugiendo illecebras vincam.* Quæ eſt *apodoſis.*

Quid Est Symbolum? *Eſt Imago figurata, quæ ſimilitudine rei non intelligentis vitam moreſque Intelligentis uno conceptu claré repræſentat.* ità *Maſen.* Alii: *Eſt ſimilitudo cum lemmate ad protaſin contracta, vim habens ſuadendi. Suadendi*, hoc eſt, non debet tantùm authoris mentem explicare, ſed in eo incluſum eſſe *argumentum* à ſimilitudine. Unde denique

Primo. Patet Symbola per *artem analogicam* fieri. Sunt autem ſimilitudines optimæ, quæ naſcuntur aut ex rei natura, aut ex artefactis. Et pulcherrima ſunt ea ſymbola, quæ ex rebus obviis petuntur. Nam lector admiratur ex re tam obvia inveniri argumentum. Sic *Alexander Donatus*, cùm ſalutaturus eſſet *Franciſcum Cardinalem Barberinum*, pinxit præ foribus Rhetoricæ *hortum cum floribus*, & adjecit lemma: *Expectat apes.* nam has ferebat Cardinalis in Inſigni.

Se-

Secundo. Si inſuper *ſimilitudini* addatur proſopopœja quaſi nova ſimilitudo, ità ut pictura ad ſimilitudinem hominis loquatur, ſymbolum amænius eſt. Ità pinxit ſibi quidam Belli dux cautus valde, & ideo turpis fugæ inſimulatus, *Cancrum* in lemmate ſic loquentem: *Retrocedens accedo.* ubi ſimul nota pulchram *Antitheſin*, & in ipſa diſſimilitudine delicioſam ſimilitudinem.

Quid Est Hieroglyphicum? *Eſt imago figurata ex quacunque re creata ad quamcunque aliam ex inſtituto ſignificandam deſumpta.* Ità *Maſen.* Fit etiam per ſimilitudinem, & fit *ſinè lemmate*, cùm definitè ſignificet. Utebantur Hieroglyphicis crebrò Ægyptii & veteres alii. Figurabant *colubrum* caudam ſuam mordentem, & intelligebant *annum*: *Caput lupi*, & tempus præteritum denotabant, quòd lupus ſit animal oblivioſum: *Caput canis*, & tempus futurum ſignificabant, quòd canum more nobis abblandiens ad ſe cum ſpe invitet. Pingebant *bovem* multi laboris animal, & *agriculturam indigitabant &c.*

PRAXIS XIII

Quomodo etiam puerulì brevi tempore in ipſis Grammaticæ primordiis plurima Scientiarum, præſertim naturalis & moralis, myſteria facillimè addiſcere, & ità vel à longè animum ad altiora egregiè diſponere poſſint?

Totum hoc fit per *Artem Analogicam*, quæ ſolerter à Præceptoribus adhibenda eſt. Nam amabò! quid puerulis jucundius accidit, quàm *fabu-*

fabulæ, quàm *Parabolæ*; quàm *apologi*? cùm autem *fabulæ* ſint duplices: *Aliæ*, quæ res *naturales* explicant, ùt de Iride, Junone; Jove &c. *Aliæ*, quæ res *morales* declarant; ùt de virtutibus, vitiis &c. harum ipſarum ope ad modum ludi jocive perveniri poterit ad utrumque; quod propoſuimus. Igitur.

Primò. Accurret Præceptor; ut puerulis locô fabularum anilium *fabulæ* vel ex *Homero*, vel ex *Æſopo &c.* creberrimè narrentur; quas deinde pueruli repetant, audiantq; à Præceptoribus, quid hæ ſignificent? Ea certè tam firmiter memoriæ parvulorum inhærebunt, ut poſtmodum Viri quàm expeditiſſime ſint eadem repetituri, ſibique multùm proficua facturi; cùm ſub fabularum involucris meram ſapientiam abſconderint veteres.

Secundò: Accurret Præceptor, ùt plerumq; puerulis detur *Thema*; ſive, ùt vocant, *argumentum*, quod fabulis aut hiſtoriis ſit fœtum cùm additis ad finem documentis. Novi hominem, qui didicit experientiâ, quanta ſint hujus Præcepti emolumenta. Poſtquam enim ejus diſcipuli, quibus in ipſis Grammaticæ rudimentis ſub involucris tùm fabuloſis, tum hiſtoricis latentem moralitatem inſtillârat; ad Facultatem Oratoriam tranſiiſſent; mirum quantum Præceptor eorum miratus ſit; unde tantum in omni genere literaturæ apparatum pro conficiendis orationibus ſine librorum lectione ſumpſiſſent?

PRAXIS XIV.

Docet ingenioſè ex libris furari, aut modeſtiùs, mutuari.

DE hac Arte non eſſet forte neceſſé dicere, cùm videatur ſatis communis eſſe. nihilominus addam paucula, quæ, ſi quis in praxin deduxerit, non erit dicendus fur, ſed egregius imitator. Igitur,

Primò. Si ex libris ſubtiliùs mutuari vis? *Artem combinatoriam Part: ſecundâ* conſule. Et ex ipſis hujus Artis Regulis actutum ädvertes, quomodo mutnando integram etiam Concionem aut plures; ex quocunque Authore, partes earum ità inter ſe combinari poſſint, ut omnino nova ſit concio, & novus conceptus ac inexpectatus. Quemadmodum ille, qui theatrum dirueret, & ex iiſdem lignis ſoluti aliter combinatis domum extrueret. Sane novi hominem, qui Concionem, quam Dominicâ præcedente recitârat, eandem coram iiſdem Auditoribus Dominicâ ſequente recitâvit cum omnium admiratione ob inexpectatos, novoſque conceptus. Interim erat eadem materialiter Concio, aliter tamen per artem combinatoriam diſpoſitâ.

Secundo. Hanc praxim hauri *ex arte Analogica.* Sume ea, quæ unus habet *de Igne*, & per analogiam applica *ad aquam.* quod unus hiſtoricus habet de *Italia*, eadem applica *Germaniæ*, vel Hiſtoriam de rebus Priſcorum, muta in hiſtoriam de rebus Recentiorum. nam idem ubique ana-

analogicè theatrum, eadem comœdia, aliæ ſolummodò perſonæ. *Item* ſume librum v. g. *Plinium*, & ea, quæ ſcribit de *natura*, applica ad *mores*. *Item Curtium* de Geſtis Alexandri applica totum fortitudini &c. Et habebis ex libro Hiſtorico librum Ethicum. *& ſic de ceteris*.

Tertio. Adhibe *Artem Analyticam*, & ſume quemcunq; librum, aut quodcunquè ſcriptum, & ex ibi jam inventis deduc conſequentias juxta dicta *parte* 8. Et en! novum librum habebis de eadem materia. Hac praxi vidi ſæpe celerrimè fieri Elogia nova & Epigrammata ex antiquis acuminibus alia inferendo.

PRAXIS XV.

De quacunque re hiſtorias expeditè & ſcribendi & narrandi.

PRimo. Putem hoc *Ariſtotelicorum* ope *prædicamentorum* præſtari poſſe perfacilè & perordinatè.

Exemplum. Sit hiſtoria tibi ſcribenda v. g. *de Scanderbego*. Habe præ oculis omnia 10. *prædicamenta*, & ea, quæ ſub quovis continentur, ùt declaravi *Parte V. art. II.*

Sume *prædicamentum Subſtantiæ*, & oſtende, quàm Scanderbegus nobilem animam fortitus ſit? quàm eximius fuerit homo, ut pene ſpecie videretur ab aliis diſtingui &c. &c.

Sume *prædicamentum quantitatis*, & oſtende magnitudinem ejus, tum ſecundùm molem, tum ſecundùm virtutem &c.

Sume *prædicamentum qualitatis*. Et oſtende ; ſecundùm 4. genera qualitatum, quæ & quales in eo fuerint, *ut dictum locô citatô*: quæ facultates? quæ virtutes? quæ paſſiones?

Sume *Relationem*, & oſtende. quas, & cum quibus habeat ſimilitudinem, & diſſimilitudinem, diverſas conjunctiones,&, ùt barbarè loquar, *intereſſationes*.

Sume *Prædicamentum Actionis*, & oſtende ejus præclara conſilia, dicta, facta &c. *Et ſic de ceteris prædicamentis*. Advertis enim jam, quid velim dicere.

Similiter operare ſi velis Topographiam componere, & de quacunque demum Regione hiſtoriam ſcribere. *Item* ſi Reipublicæ, ſi Regni, ſi pacis, ſi belli, *Unum adhuc adverto*. Si cuilibet prædicamento 9. *Quæſtiones* applices: *an*, *quid*, *cur &c.* innumerabilis ſcribendi, narrandive materia ſeſe tibi offeret.

Secundò. Fieri hoc poteſt per Principia Artis *Lulliano-Kircherianæ*. ùt dictum *Parte VII*, diffusè.

PRAXIS XVI.

Modi facillimi Adverſaria de quacunque re faicendi, ſive audita lectave notandi.

MOdus I. Fieri hoc poteſt eorundem *Prædicamentorum* ope. v. g ſi velis annotare. quidquid *de Leone*, aut quidquid de *quercu* dici, differive poteſt. Procede ſecundùm ordinem prædicamentorum: nam quidquid poteſt de quacunque re cogitari, pertinet ad aliquam ex Categorijs Ariſtote-

ſtotelis: v. G. *de Leone*; *In Prædicamento ſubſtantiæ* nota definitionem, & naturam *Leonis*, varias ſpecies, ſi ſunt, individua &c. *In prædicamento quantitatis* magnitudinem, longitudinem, amplitudinem *Leonis &c. In prædicamento qualitatis* colorem, calorem &c. virtutes, formam, figuram &c. *Leonis*. In *Prædicamento ubi* nota illius ſpelæa &c. *in prædicamento quando* nota ejus vitam longam vel brevem &c.

Modus II. Fit hoc per 9. Quæſtiones. omnia, quæcunque de Leone, aut legis, aut audis revoca vel ad *An*, vel ad *quid*, vel ad *cur*, vel ad *quantum &c.*

Modus III Fit hoc ope Principiorum Artis Lulliano-Kircherianæ. *Perfectionem Leonis* revoca ad B. *extenſionem*, & *intenſionem* perfectionum ad M. *permanentiam ejus ad* D. *inſtinctus* ejus ad S. &c.

PRAXIS XVII.

Docet Iliadem, aut etiam librum majorem, in nucem includere.

E*Xplico.* ES amator librorum, & delectaris eorum lectione, ſed vides memoriam labilem eſſe, nec retinere prægrandes Tomos. Igitur ut memoriam fulcias, vis amplas Iliadas in nucem conſtringere. Sed *hoc opus, hic labor.* Sit ergo hæc

Praxis. Utere *arte Analyticâ*, & facilè etiam centenas authorum paginas in denas contrahes. Præſcribit enim quidam Recentior *hanc Methodum.* Omnis liber, ſi non ſit *hiſtoricus*, aut *fabuloſus*, probat, aut improbat aliquam propoſitionem, v. G. Auctor aliquis ſcribit de *Bohemorum*

for-

fortitudine. Oſtendit igitur aut verã, aut falsã eſſe hanc propoſititionem: Omnes Bohemi ſunt fortes.

Hoc autem oſtendere non potes, niſi duobus modis: vel per *Inductionem* ſeu per *Exempla*, vel per *Syllogiſmum* ſeu *ratione*. Si per *Exempla*? ea compendiosè exſcribe: *Bohemi ſunt fortes: Reges, Barones, Equites, Milites &c.* & ſiç ordine conſequenter. Si verò per *rationem*? fac *duo Capita*. Propoſitio probata aut reprobata habet duos terminos: *ſubjectum & prædicatum* v. G. *Bohemi ſunt fortes.* Quidquid dicit de *fortibus*, colloca in locum unum. Quid de Bohemis, in locum alterum. v. G. *de fortibus:* fortes ſunt, qui pro Rege moriuntur, qui ſuis ſtipendiis militant &c. *De Bohemis*: Bohemi vicerunt exteros &c. Cetera, quæ in Authore reperies, erunt aut ampliationis cauſâ, aut ornatûs, aut excurſûs gratiâ, quæ omnia tibi legenti fas erit abſq; diſpendio præterire.

PRAXIS XVIII.

Docet è Principiis Pythagoræ de omni re propoſita diſcurſum formare.

PArte quartâ propoſuimus *Artem Pythagoræ*? ejuſque Principia tam tenebroſa eſſe diximus, ut nemo facilè dixerit, quid per illa velit? ſed ea hic à tenebris vindicemus, & in uſum convertamus.

Primo. Itaque, quid ſit hoc *bonum & malum*; *motus & quies, finitum & infinitum?* per ſe patet.

Secundo. Videtur aliquibus per cetera principia hoc poſſe intelligi. quid per *unum & plura*? conſervatio, vita & mors. Quid per *lumen & tenebras*? cœleſtia & terreſtria. Quid per *maſcu-*

lum & *femininum*? majora & minora. quid per *dextrum* & *ſiniſtrum*? potentiora & minùs potentia. Quid per *par* & *impar*? mortalia & immortalia. Quid per *quadratum & oblongum*? perfecta & imperfecta. Quid denique per *rectum* & *curvum*? rationi conſentaneum & diſſentaneum. His poſitis.

Tertiò: Nota *praxim*. Si de quacunque re propoſita tibi lubet diſcurrere, habe præ oculis hæc 10. *Principia*, & percurrendo ſingula experire quid ea ſingula pro re propoſita ſuggerant. *Iterum*: illud prædicatum, quod ſingula ſuggerunt potes adhibitâ *Arte combinatoriâ* rurſum cum ſingulis aut binis, aut cum ternis conjungere, & aperietur infinita farrago diſcursûs. Sed

Quartò: En *Exemplum*: proponitur v. g. *ſanitas* pro objecto diſcursûs: Suggeret tibi ſubitò *primum principium* Quæſtionem: quomodo ſanitas conſervetur? quàm dulce vivere? quàm amarum mori &c. Suggeret tibi *ſecundum Principium* aliam Quæſtionem: quid boni affert ſanitas? quid mali?. quidam valent optimè, dum peſſimè, & quidam peſſimè, dum optimè. Suggeret tibi *tertium Principium*: quid ſanitas conducat ad cognitionem cœleſtium & terreſtrium: *Et ſic conſequenter procede*. certum eſt, quòd materia diſcurrendi te non deficiet.

PRAXIS XIX.

Per locos Ariſtotelicos expeditè de quacunque propoſitione diſcurrendi.

AD hanc praxim non confert quidem illa ingens farrago locorum quam *Ariſtoteles* ponit, cùm nimia

nimia multitudo pariat confuſionem. Confert tamen plurimùm ille novus ordo, quô *Locos Ariſtotelicos* quàm breviſſimè diſpoſitos dedimus ad finem *Partis quintæ.* Igitur proponatur quodcunque Thema v. G. *Ver.*

Primò. Vide *locos extrinſecos Veris*, nimirum primò *Etymologiam.* unde venit *Ver?* à *vero*, quòd &c. deinde *conjugata.* demum *Auctoritatem* & *Teſtimonia* de Vere.

Secundo. Vide *locos intrinſecos* ordine, qui ſequitur

Primo. Vide, quid ſit *ante Ver?* hyems aſpera, moroſus pater, & ver tam amabilis filius &c. *Item* quales diſpoſitiones præceſſerint: quis finis, intentus à DEO & natura, ad ver producendum.

Secundo. Vide, quid ſit *in* Vere? puta Veris definitionem &c.

Tertio. Vide, quid ſit *cum* Vere? quale tempus, quæ ſigna Zodiaci? in quo loco, in quibus climatibus ſit Ver? cum quo Ver habeat ſimilitudinem, aut diſſimilitudinem?

Quarto. Vide, quid ſit *poſt* Ver? *hoc eſt*, quales ex Verna anni tempeſtate ſequantur proprietates, quæ accidentia, ſive jam in qualitate, ſive in actione, ſive in paſſione, &c. qui effectus? &c. *ùt locò citatô dictum.*

PRAXIS XX.

Inexpectatos, ùt vulgo vocant, Conceptus de quocunque propoſito Themate facile reperiendi.

FIet hoc per *Artem Analytico-Syntheticam*, de qua in *Parte octava.* Nimirum propone tibi quodcunque thema, cujus aut veritatem, aut falſitatem

tatem oſtendere deſideras. Illud erit ſemper aliqua propoſitio: v.G. ſit hoc thema probandum: *Divites ſunt infelices.* Hanc ipſam propoſitionem conjice in chartam, & *ex una parte* ſub ſubjecto propoſitionis pone definitiones & diviſiones ſubjecti, & novas conſequentias, & ex his iterum alias ordine deorſum. *Ex altera parte* pone ſub prædicato, illius propoſitionis ſimiliter definitiones & deviſiones prædicati, & indè novas conſequentias, & ex his alias ordine deorſum. *Vide me loco citato,* Hoc facto

Per *Artem combinatoriam*, de qua etiam *ſuprà*, compara conſequentias primas ſub ſubjecto cum ultimis conſequentiis ſub prædicato. *Iterum* primas cum mediis, medias cum ultimis, medias cum mediis per crucem, per circulum, per triangulum &c. prout placet. Et audeo tibi polliceri conceptus de propoſito themate plurimos omnino inexpectatos & argutos, qui ſe quaſi ultro offerent, & non unam, ſed plures *orationes* conficient.

Exemplum hujus nullum do. DEO enim auſpice erit alibi hoc ipſum *exemplificandi* locus.

PRAXIS XXI.

Quomodo locos communes cùm pro diſſerendo, tum pro memorando quocunque propoſito themate in corpore noſtro velut ſtigmata circumferre poſſimus?

POterit hoc fieri per *Artem Analogicam.* Certum enim eſt, quòd homo ſit *parvus mundus,* qui velut quædam Epitome continet omnia juxta illud: *Prædicate omni creaturæ*, hoc eſt, *hominis.*

mini. quidquid enim in mundo Angelico ſive cæleſti, ſive Elementari reperire eſt, id totum in homine cum quadam proportione, velut in ſpeculo ac enigmate, videre eſt. Quare

Primò. Quemadmodum de omni propoſito themate ex *prædicamentis Ariſtotelis* ſinè analogia diſſeri poteſt, cùm *Ariſtotelis prædicamenta* omne *dicibile* complectantur; eundem in modum de omni propoſito themate ex partibus ſolius tui corporis cùm analogia diſſerere poteris, cum analogicè in eo omnia contineantur. Itaque, quidquid proponitur, cum aliquo corporis membro compara, & ejuſdem membri prædicata rei propoſitæ cum proportione applica. Certè nuper mihi ſpeculanti occurrit, quàm bellè *tota de DEO materia* in Theologia doceri ſolita in *ſolo oculo*, velut in quadam pictura exhiberi, explicaríque poſſit.

Secundo. Si inſuper novem quæſtiones: *an, quid, cur &c.* modo jam ſæpius dicto hic applicueris, & per *Artem combinatoriam* jam binarios, jam ternarios partium corporis &c. in ijs analogicè adumbratarum comparaveris, næ! infinita diſcurſuum Seminaria vel de una re in tuomet corpore deprehenderis.

Tertio. Accedit, quòd, cùm omnia lateant in omnibus, & non tantùm *verecundia* v. G. vel quidcunque aliud analogicè lateat in *fronte*, ſed & in oculis, & in auribus, & in ore, & in pectore &c. Si prædicata omnium ordine partium rei ad diſcurrendum propoſitæ aptaveris, tanta prædicatorum vel de una re farrago ſeſe offeret, ut habiturus ſis, quoad vixeris, quod vel de una re loquaris,

Quartò Memineris & hæc ipſa præcepta pro *memorando* valere. Novi prædicatores, qui ſibi orationis ſuæ puncta notabant in ſuorummet corporum partibus v. G. *Exordium in Capite, Propoſitionem in fronte, primam partem confirmationis in oculis &c.* *Ratio* patet ex dictis: quidquid enim adferri poteſt, cum membris corporis ſimilitudinem habet v. G. in prima parte *confirmationis* diſcurro de *obedientia cæca*, hanc igitur mihi colloco in *oculis*, in ſecunda diſcurro de *obedientia prompta* & celeri, hanc collocabo in *auribus &c.* Siverò *hiſtoriæ* adferendæ ſint, aut fabulæ, aut antiquitates quæcunque, multò commodius per partes corporis analogiã notare poteris.

Quintò. Hâc eâdem Arte & ope ſolorum *membrorum* corporis humani poteris, & quod audis, & quod legis, facilè memoriâ retinere, quemadmodum ope *Prædicamentorum*; ùt dixi *Praxi ſeptimâ.*

PRAXIS XXII.

Modi, cùm domi, tum militiæ ope prædictarum Artium expeditiùs de quacunque materia. conſilia dandi.

IN comperto eſt, bonos conſiliarios etiam vigeſimam, ſi non centeſimam, ſæpe conſequentiam prævidere oportere. Quid factô opus; igitur ex ijs, quæ toto libello ſparſimus

Patet primo. Modum qro conſilijs expeditè dandis de quocunque propoſito, longè pulcherrimum eſſe, *Artem Analytico-Syntheticam,* hoc eſt, artem univerſalem ex quocunq; themate longiſſimum etiam, & aureum omnium

um conſequentiarum filum educendi, & deducendi. Quod fiet percepto bene *ſtatu Quæſtionis*, ſubjecta prædicataque propoſitionum dubiarum per definitiones ac diviſiones exenterando, ùt dictum.

Patet ſecundò. Cùm Conſiliarius eò melior ſit, quò mentis acumine penitiùs in rem propoſitam intrat, eandemque quaſi exhaurit, utiliſſimum eſt cum omni propoſita *Quæſtione*, intrà ſe deliberando, ad *Ariſtotelis prædicamenta* modis jam toties adductis confugere; occurret enim (ſaltèm interrogandum) quidquid de propoſita *Quæſtione* dici poteſt, cùm omne, quod humana mens concipere poteſt, ſub hæc prædicamenta cadat, & iis exhauſtis res omnis funditùs exhauriatur.

Patet tertiò. Cùm omnis Conſiliarius actum agat, ni rei propoſitæ omnes circumſtantias percalleat. Neceſſe eſt ſi menſuram nominis implere velit, ut crebrò præ oculis habeat 9. *Quæſtiones* à nobis ſæpiùs jam adductas: *An? quid? cur? quantum? qui? quale? ubi? quando? quibuscum?* nam per has ſolas Quæſtiones, ùt *Parte ſeptimâ* declaravimus, quæcunque propoſita *Quæſtio* ad fundum uſque examinatur, nec eſt tam abſtruſa conſequentia, quæ à Conſiliario ſolerte hujus Artis beneficiô erui non poſſit.

Patet quartò. Artem *Analogicam* ad Conſilia plurimùm conducere, recogitando: an aliquando, & ubi aliquid ſimile ſit factum? aut diſſimile? id quod paſſim apud Conſiliarios uſum obtinuit, & vocatur barbarè: *Exemplificatio*.

Patet quinto Nihil ità proficuum eſſe Conſiliario, quam *Artem Combinatoriam.* Si enim pleraſq; ſaltem propoſitæ *Quæſtionis* circumſtantias ſecundum Artis hujus Regulas diſponeret, ſanè non ſolum *Conſiliarius*, verum etiam inter Conſiliarios *Vates* audiret.

Patet ultimo. Etiam Artem *Lulliano-Kircherianam* conſiliis dandis perappoſitam eſſe, modò *Quæſtio* ad ejus Principia tum abſoluta, tum reſpectiva ritè applicetur.

PRAXIS XXIII.

Diſcurſum ſinè fine protrahendi.

OMnis quidem homo *animal rationale* eſt. *Rationale*, hoc eſt, *Principium diſcurrendi.* Sunt autem non pauci, qui, dum cum altero diſcurrendum eſt, ne quidem diſcurſus principium invenire norunt, etiam homines alioquin non bardi; quamvis â ſociis ſufficiens occaſio detur. Putem hoc accidere præſertim ex eo, quod ſuper modos diſcurrendi de omni re propoſita non reflectant. Igitur

Primo. Dum cum altero diſcurrere vis, habe ſemper præ oculis 9. *Quæſtiones*, de quibus toties diximus, & ſtatim quærere poteris, & quærendo non ſolum diſcurſum inchoare, ſed etiam ſinè fine extendere.

Secundo. Habe præ oculis præſertim Artem *Analytico-Syntheticam*, & attende ſemper ad alterius propoſitiones, quarum ſubjecta, prædicataque. Si intra te vel obiter deſcribas, ſemper occurret, quod dicas, quamvis alteri nihil amplius

plius occurreret. Ita ſæpe nos diſcurſum per dies protraximus; dum enim Congerro diſcurrendo ſeſe jam exhauſtum diceret, iterum occaſionem dedimus diffuſi diſcurſus nihil aliud agendo, quam ex ultimis ipſius propoſitionibus *analyticè* conſequentias deducendo.

Tertio. Præ oculis habe *Prædicamenta Ariſtotelis*, ut ſæpe monuimus. Vel etiam *Lulliana Principia*, & occurret ſemper, quod tuo Congerroni proponas, nec ei unquam moroſo ſilentio moleſtus eris.

PRAXIS XXIV.

Omnes Argutiæ ad unicam Regulam reducuntur, & modi faciles argutandi de omni re propoſita proponuntur.

N*Ota primo.* Generaliſſimam argutiæ deſcriptionem: *Concluſio* vel *ſententia præter, aut contra expectationem allata.* Et hinc tam diverſæ de argutiis opiniones: uni ſæpe videbitur aliquid argutum, alteri obvium: quia *inexpectatum* eſt uni, non alteri. Intellige autem definitionem ſic: *Præter* aut *contra expectationem* cum *ratione.* Nam alias ſtulti maxime argutarentur, cum eorum pleraque & dicta, & facta inexpectata ſint.

Nota ſecundo. Hoc tum demum fieri, ſi vel dicti, vel facti, vel cujuſcunque demum rei cauſam inexpectatam adferas. Aut ſi dicto, facto, vel cuicunque rei aliud inopinatum connectas,

Exem-

Exemplum primum in Martiale: *Semper eris pauper, ſi pauper es Æmiliane.* Cauſa inexpectata: *Dantur opes nullis nunc niſi divitibus.*

Exemplum ſecundum in eodem: *Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus.* conſequentia inexpectata: *Rem magnam praſtas Zoyle, ſi bonus es.*

Nota tertio. Exiſtimant *alii*, nôn tam per artem, quàm per naturam argutos fieri, ideoque omnibus Artis hujus præceptis ſuperſedent. *Alii* vero Diſcipulum omnes *Locos Rhetoricos* percurrere jubent, quod fecit *Radau*, ut inde acumen eruat. *Alii* totam artem per plurimos fontes & innumeras Venas diffundunt. *Maſen* in *Arte nova argutiarum* fontes omnes doctiſſimè reducit ad quatuor, ſcilicet: ad *repugnantia*, *alienata*, *comparationes*, *alluſiones*. Et quidem *fontem primum* dividit in *venas* 8. *fontem ſecundum* dividit in *venas* 6. *fontem tertium* in *Venas* 4. *fontem quartum* in *venas* totidem. Quid nos?

Nota quarto. Artem totam argutandi, nî fallimur, in *Arte Analogica Parte tertiâ* reperimus, &, quidquid argutiarum eſt, ad unicam Regulam ex rerum ſimilitudine diſſimilitudineque erutam, revocari poſſe judicamus, ùt ſequitur.

Regula unica argutiarum.

SI vis argutari de quocunque propoſito, quære prædicatum aliquod, quod illi propoſito vel ſit inexpectatè ſimile, vel inexpectatè diſſimile, ſive in voce, ſive in re. Id quod Exemplis, quæ numeroſa ſubjungo, ſat ſuperque fiet luculentum. Sed

Sci-

Sciendum primo. Similitudinem & diſſimilitudinem hic ità ſumi, ùt in *Arte Analogica* locô citatô, & patebit itidem Exemplis.

Sciendum ſecundo. Per *ſimilitudinem inexpectatam* hoc intelligi, vel quòd allata ſimilitudo non fuerit vulgò nota, nec tam facilè innoteſcere potuerit, unde Auditori admiratio cieatur; vel quòd vulgò notum ſit, hoc prædicatum alioquin ſubjecto ſummè diſconveniens eſſe, quod eidem conveniens oſtenditur.

Sciendum tertio. Per *diſſimilitudinem inexpectatam* hoc intelligi, quòd diſſimilitudo illa vulgò nota non fuerit, nec tam facilè innoteſcere potuerit, vel quod vulgo notiſſimum fuerit prædicatum illud, quód ſubjecto attribuitur, ei longè convenientiſſimum eſſe. *Sed hæc omnia, ùt dictum, Exemplis declarabuntur.*

Exempla à ſimilitudine.

Exemplum I. *à ſimilitudine in verbis, quæ conſtant iiſdem literis.* ut: uxor non eſt apta *Duci*, quia non eſt apta *duci*, & quæ non eſt apta *regi*, non eſt apta Regi.

Exemplum II. *à ſimilitudine in ſignificatione verborum.* ut: Attalus ſemper aliquid agit, & ſi non eſt, quod agat, agit mulas. Mi attale! ſi tibi deeſt? quod agas, agas animam.

Exemplum III. *A ſimilitudine in verbis, quæ non conſtant prorſus iiſdem literis, aut literis tranſpoſitis.* ut: mors non eſt interitus, ſed introitus.

Item: Aliis burſa turget ære, mihi aëre.

Item: Dindymus Aſtrologus non regitur influentiis polorum, ſed poculorum.

Item:

Item: Quia *Roma* fuit in conſilio *mora*, Saguntus periit.

Exemplum IV. *à ſimilitudine cum antiquitate, vel cum fabula, hiſtoriáve, vel cum proverbiali ſententia &c.* ut: Laudavit aliquando vulpecula pennas corvi, quod tam albæ eſſent: nec hoc tempore deſunt vulpeculæ! (*adulatores*!)

Item: omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci, *dixit Caupo*, & miſcuit vinum cum aqua pro hoſpitibus.

Item: Etiam modo literati ſunt vectigales. *Quid dicam?* olim intonſus erat, ſed nunc tondetur Apollo.

Item. Si dulce eſt pro Patria mori, certe dulcius eſt pro Patria vivere.

Item. Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo. Sed excipe *Judam*; cujus vita pendet ex laqueo.

Exemplum V. *A ſimilitudine inter res diſſimiles.* ut: Epulo affluebat opibus, inopiâ premebatur Lazarus; uterque tamen miſer; Epulo, quod uti bonis neſciret, Lazarus, quod non poſſet.

Item. Non æſtima nimis blandos amicos: calent cum olla, frigent cum culina.

Item: Ebrius Corydon, uxor ebria, uterque fuerit, una tamen domus utrumq; claudit: quam male conveniunt, tam bene conveniunt.

Ex-

Exemplum VI. *à ſimilitudine ex diſſimilibus prædicatis ejuſdem rei.* ut: femina & lædit bona & mala,funera cauſavit Penelope ac Helene.

Item: Sæpe Judas in vita expulit diabolum è corpore, & en! idem præſtitit in morte ſuſpenſus in fune.

Exemplum VII. *Ab una tantum ſimilitudine inter res diſſimiles reperta.* ut: audi! Tu quidem in nullo ſimilis es api, niſi quod geras aculeum.

Exemplum VIII. quod argutiſſimum eſt, *quando ſimilitudo pro reſponſo, ſive pro ratione datur:* ut: Beſſalus rogatus, quot beneficiâ Canonico hoc tempore ſufficerent? *Reſpondit* Stratius: Sponſa Marito, cui non una ſatis, Beſſale, nulla ſatis.

Exemplum IX. *quando aliquid inopinatum adfertur, ut cauſa vel effectus, quo ſimilitudo inter res diverſas inter ſe comparatas ſtabilitur.* ut: Hæc eſt ſtatua Rufi Rhetoris: Si ſaxea eſt, vera eſt. cur? ſemper ſaxeus ille fuit.

Item: Mome! non voco te quemvis Aſinum, ſed illum, in quo ſedit Pſeudopropheta Balaam.

Exemplum X. *quando ſunt aliqua ſimilia, & præfertur id, quod vulgo poſtponendum eſſet, aut poſt ponitur, quod præferendum.* ut: Quid putas? an nox? an dies plus videt? ſine dubio dies plus videt, quam nox. Et tamen nox eſt oculatior Argo centoculo, & dies eſt luſcus.

Item, quis putet? Judas videtur ſimillimus Beatis. Beati non habent ſpem, etiam Judas non habuit ſpem. Et quidem Beati ſolum non habent ſpem poſt mortem, Judas autem nec poſt mortem, nec in vita.

Ex-

Exemplum XI. A *ſimilitudine negativa, dum res oſtenditur nullum habere ex prædicatis diſſimilibus.* ut; mi Poëta! tu componis carmina quæ nemo intelligit. Scio, quid nolis? nec vis tacere, nec loqui.

Item: Uxor nec ſit Serva, nec Domina; nil imperet, quodvis impetret.

Exemplum XII. A *ſimilitudine disſimilium prædicatorum, dum unum alteri attribuitur.* ut: felix infelicitas, quæ Cœlum aperit; infelix felicitas, quæ Cœlum claudit.

Item. Etiam cruces ſunt deliciæ, à quo Chriſti lectulus crux fuit.

Item. Quid conſtantius, quàm fortuna in ſua inconſtantia?

Item. De Medico & Juris-Conſulto.
Ulceribus Galene vales tantummodo noſtris.
Stultitiâ noſtrâ, Juſtiniane, ſapis.

Exempla à diſſimilitudine.

EXemplum I. A *diſſimilitudine ſignificationis vocum ſimilium.* ut: Barbara non eſt barbara, aut ut Parcæ parcunt, ut luci lumine lucent, ut bellum eſt bellum, ſic ego *barbara* ſum:

Item. Quàm Judas rudis Diſcipulus in Grammatica Chriſti! nè quidem ſcivit laqueum *declinare.*

Item. Quid ſimilius Amicis? & tamen tam citò mutatur amicus in hoſtem, quàm cito mutatur nomen ἔρως in ἔρις.

Exemplum II. *à diſſimilitudine in alluſione vel ad artem aliquam, fabulam, hiſtoriam, paræmiam &c.* ut: quàm miſer maritus Quintinæ! ducit,

cit, agit miſerum, quò vult. Grammatici! fugite hinc: *hæc vir & hic mulier.*

Item de paupere ſuperbo : lacerô galerô tegit cornua: non deeſt illi *cornu*, ſed *copia*.

Item. Hercules hanc theſin ſuis columnis inſcripſit: *non plus ultra.* Avarus tenet contrarium, & dicit: *plus ultra.*

Item. Non omnes arbuſta juvant, humilêſque myricæ, inquiebat fur, cùm ſuſpenderetur è trabe.

Item. Scriptum eſt: Omnis arbor bona bonos fructus facit. hoc fallit in arbore, in qua Judas pependit.

Exemplum III. *A diſſimilitudine effectûs vel proprietatis inter res ſimiles.* ut: Conjuges! vos eſtis ſimiles vitâ: uxor eſt peſſima, peſſimus maritus. Miror! quod ita diſconveniatis.

Item, Venus in cœlo ſemper comitatur Solem. mirum ergo, quòd fugiat in terra lucem.

Exemplum IV. *à disſimilitudine, quâ eadem res ſibi disſimilis inexpectatè oſtenditur.* ut: quàm gradus aulæ diſſimiles! per plures aſcenditur, per unum deſcenditur.

Item. Mi Coſmophile! tu vivis Comædus; quàm timeo, nè moriaris Tragœdus.

Item. Quàm Judas dives in vita, pauper in morte! vivus habet loculos, loculum nec mortuus unum.

Item. Lazari calamitas abſque calamitate, perierat fortè, niſi periiſſet.

Item de B. Virgine: quiſquis es, abſque meo qui vis me pingere, nato, Me ſinè me potiùs pinge, dolebo minùs.

 Exem-

Exemplum V. *A diſſimilitudine, cùm eidem ſubjecto diſſimillima duo prædicata ſimul attribuuntur.* id quod pulcherrimum eſt. ùt *de ſue, càm telo confoderetur, pariente:* pariter vitam perdidit, atque dedit. *Mart:*

Item de familiari. Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem: nec poſſum tecum vivere, nec ſinè te.

Item. Heu miſer! poſt ebibitam toties ſanitatem Cæſarum Regumque, ſanitatem perdidi.

Item de molliter comto. Naturâ Vir, arte femina es; quid dicam? es homo generis communis

Item de Rege: Rex regnat ſolus: cur non regit omnia ſolus? Rectiùs ille regit, qui regit & regitur.

Item. quid hoc? ex Soliſne obtutu excæcatus eſt? itá eſt In medio Sole lumina perdidi, & qui generat diem, ſurripuit diem.

Exemplum VI. *à diſſimilitudine inter res diſſimiles mutuò permutatâ. ita, ut prædicatum ex ſubjecto A, transferatur ad ſubjectum B. & alterum oppoſitum ex B. ad A.* ùt: *amo* activum, *amor* paſſivum diſconveniunt: cur? quiſquis amat, patitur: quiſquis amatur, agit.

Item. Lazarus in ſua dives inopia, Epulo ſuis pauper in opibus.

Item Sæpe vir in puero eſt, in Sene ſæpe puer.

Exemplum VII. *A diſſimilitudine prædicati, quod planè alienum eſt à re propoſita, de qua agitur.* ut. Domitianus hoſtis fuit muſcis, & hoſtibus muſca.

Item. Epulonis conſiliarii fuerunt Venter & ſtomachus; non ratio.

Item

Item illud Martialis in effeminatum. Deſine me vocare Fratrem, nè te, Carmenion, vocem ſororem.

Item illud in omnia concedentem. Omnia concedis: amabò! etiam aliquando Nega. nè quis, dum loquimur, nos neget eſſe duos.

Item de S. Catharinâ, è cujus decollatæ collo profluxit lac. Tam pugnavit virgo viriliter; virum crederem, niſi lac viderem.

Item Non putem, Lazarum famuiſſe, qui canes aluit.

Item. Heu mihi! medicinâ morbum contraxi, & cibo famen.

Item. Caro concupiſcit adversùs Spiritum. Eccur Caro non vult animæ parere? ſenior eſt.

Item illud Martialis: Uxorem quare locupletem ducere nolim, quæritis? uxori nubere nolo meæ.

Item illud. Innumeros coemis libros, legis, Attale, nullos: Doctior eſt Domino Bibliotheca ſuo.

Item de amante. Væ miſero! heu! quam uror, & uror tantò potentiùs, quantò, qui me urit, longiùs ignis abeſt. Ecquis actionem in diſtans neget? &c.

PRAXIS XXV.

Arcanum pro Rhetoribus & Concionatoribus, quod ſi quis bene penetret, quodcunque aſſumptum Thema in infinitum multiplicare poteſt.

Hoc ipſum breviter aperio. Nec opus eſt hic pluribus agere ad Lectorem, qui præcedentia noſtra diligenti lectione percurrit, Igitur

Nota primo. Fige tibi firmiter in memoria illa 9. *Subjecta : DEUS, Angelus, Cœli, Elementa, homo, animalia, plantæ, mineralia, Inſtrumentalia.* quæ omnia ſuô locô expoſuimus. Quidquid enim eſt, de quo aliquid dici poteſt, in his 9. Subjectis latet.

Nota ſecundò. Artis Lulliano-Kircherianæ *Principia octodecim* tanquam prædicata, quæ de ſubjecto quocunq; dici poſſunt, & ſunt quædam mirabilis Epitome omnium prædicatorum.

Nota tertio. Singulai *ſubjecta* ex 9. recenſitis, & quiquid ad ea ullo modo revocatur, poſſunt 9. diverſis modis conſiderari, nimirum: *Theologicè: Metaphyſice, Phyſicè, Medicè, Mathematicè, Ethicè, Juridicè, Politicè, Analogicè.*

Exemplum I. *Homo* ſi Thema. *Theologicè.* Finis ejus ſupernaturalis, media Theologicæ virtutes, influxus Divini &c *Metaphyſicè:* ejus *Reubau*, & genus cum differentia. *Phyſicè:* materia &forma ejus. *Medicè:* ùt Sanabilis. *Mathematicè:* ùt Ens quantum menſurabile. *Ethicè* ùt virtutum capax. *Juridicè:* ùt ſubſtat legi poſitivæ, & humanæ per eas dirigibilis. *Politicè:* ùt pars Societatis civilis. *Analógicè:* in quantum per Analogicam Artem omnia, quæ in mundo ſunt, illi applicari poſſunt.

Exemplum II. *Aqua* ſit Thema. *Theologicè:* aqua in baptiſmi materia cum forma ad gratiam conferendam elevatur. *Metaphyſicè:* ejus *Reubau* & genus cum differentia. *Phyſicè:* ejus natura tanquam Principium motus, vires, virtutes, proprietates. *Medicè:* virtutes in ordine ad curationes.

nes. Mathematice: in hydraulicis &c. *Ethicè:* per Metaphoram, ùt flumen ſapientiæ &c. *Juridicè:* in quantum juris-Conſultus decidit de inundatione fluminum. Inſularum natarum augmentum &c. ùt habetur ff. de alluvione fluviorum. *Politice:* in quantum Reſpublica bene ordinata opus habet aquæ-ductibus &c. *Analogicè;* in quantum per ſimilitudinem aut diſſimilitudinem ei omnia applicari poſſunt. Ex quo

Nota quartò. Si vis Thema magis ampliare, quodlibet dic de quolibet. hoc enim per *Artem Analogicam* fieri poteſt, affirmativè & negativè. Et hic eſt ille Protheus Rhetoricus παντόμορφος, quem Rhetores *modum artificialem* vocant.

Nota quintò. Si vis Thema magis ampliare, applica 18. *Principia* Lulliano-Kircheriana B. M. D. &c. ad 9. dictos modos v. G. de B. *Theologica* hominis; de B. *Metaphyſica* hominis &c. iterum de M. *Theologica* hominis, de M. *Metaphyſica &c.*

Nota ſexto. Si vis thema magis ampliare, dum agis de B. *Theologica* hominis, applica iterum ad B. *Theologicam omnia* 18. *Principia.* & ſic de ceteris. Non enim dubito te jam videre in hoc unico modo immenſam argumentorum pro quovis themate fœturam latere.

PRAXIS XXVI.

Inſolitus & mirabilis modus ex falſo ùt tali verum demonſtrandi.

Habet hunc Clavius in l. 1. Sphæricorum Theodoſii ad propos. 12. & vocat illum *mirabilem*, quòd ex contradictorio uno inferat alterum

 poſi-

poſitivè directè, & ſinè deductione ád impoſſibile. Exempla ejus extant apud Clavium duo. Alterum Theodoſij prop. 12. *Unum* apud Cardanum l 5. de proport. prop. 201. & multa apud noſtrum Tacquet in appendice ad Euclidis Elementa. Ex quo ſit

Exemplum Hydroſtaticum: *An maris ſuperficies ſit ſphærica?*

Sit ita: Maris ſuperficies non eſt Sphærica

Ergo omnes illius partes non diſtant æqualiter à centro.

Ergo una eſt altior alterâ.

Ergo altiores defluunt versùs decliviores; hæc enim eſt humidi natura.

Ergo omnes ſunt æquè altæ.

Ergo æqualiter diſtant à centro.

Ergo ſuperficies eſt ſphærica. *quod erat demonſtrandum.*

Et hoc exemplum habetur etiam apud Ariſtotelem & Archimedem. Addo tria Exempla Theologica mirabilia ex Antonio Perez, cognomentô *Mirabili Theologo* Societatis noſtræ eruta.

Exemplum I.

DIcit Atheus: *Ens optimum non exiſtit,* ſic argumentor *Sit ità: ens optimum non exiſtit.*

Ergo maximè non exiſtit: ideo enim ens optimum non exiſtit juxta te, quia dicis ens optimum eſſe chimæram.

Ergo neceſſariò non exiſtit: hoc enim eſt maximè non exiſtere.

Ergo

Ergo datur neceſſitas non exiſtentiæ illius & neceſſariò datur.

Ergo datur aliquid, quod neceſſariò exiſtit: neceſſariò enim dari neceſſitatem illius non exiſtentiæ, eſt neceſſitatem illius non exiſtentiæ neceſſariò exiſtere.

Ergo datur aliquid, quod caret omni defectu; illud enim, quod neceſſariò exiſtit ſeu quod eſt ens neceſſarium, eſt ens carens omni defectu.

Ergo datur ens optimum: idem enim eſt ens optimum & ens carens omni defectu. *quod erat demonſtrandum.*

Exemplum II.

DIcit Atheus: *non datur ens neceſſarium*, ſic argumentor.

Sit ità: non datur ens neceſſarium.

Ergo neceſſariò non datur,

Ergo datur neceſſitas, ut ens neceſſarium non detur,

Ergo datur aliquid neceſſariò, ut ens neceſſarium non detur, cùm illa ipſa neceſſitas detur, ut ens neceſſarium non detur.

Ergo datur Ens neceſſarium, cùm Ens neceſſarium nihil aliud ſit, quàm aliquid, quod neceſſariò datur. *quod erat demonſtrandum.*

Exemplum III.

DIcit Atheus: *non datur DEUS*, ſic argumentor. *Sit ità: non datur Deus.*

Ergo hæc propoſitio vera eſt: *non datur Deus.*

Ergo datur hæc veritas : *non datur Deus.*
Ergo cùm hæc veritas detur, vel datur contingenter vel neceſſariò. non contingenter, ut patet.
Ergo datur neceſſariò hæc veritas.
Ergo hæc veritas eſt ens neceſſarium.
Ergo datur E*ns neceſſarium.*
Ergo datur DEUS. *quod erat demonſtrandum.*

Verùm, quid dicendum ad hunc mirabilem argumentandi modum? Reſpondeo : ni fallor, *latet anguis in herba.*

PRAXIS Ultima.

Quidlibet per quidlibet probandi.

PRimus *Modus. Quidlibet per quidlibet* potes *demonſtrare* per quævis *prima Principia.* v. G. per Principia Phyſicæ propoſitiones Metaphyſicas, & per Metaphyſica Phyſicas &c. Certum enim eſt, quòd omnis Scientiæ Principia ſint *neceſſaria.* Ergo omnia Principia ſunt ita connexa, ut vel unum Principium poſſet negari, cetera omnia forent neganda. *Sapienti pauca.*

Secundus Modus. Quidlibet per quidlibet potes aliquo modo *probare* per *artem Analogicam.* nam *quidlibet in quolibet* ſecundùm axioma Platonicum. & ſecundùm Logicum : *quod in una arte heterogeneum eſt, in altera homogeneum eſt.* Modus quidem rem conſiderandi in aliis diſciplinis, eſt alius, res tamen eadem. v.G. *homo* conſideratus *Theologicè* eſt diverſus ſecundum

dùm conſiderandi modum, ſecundùm rem idem. Denique non eſt Ens, quod non cum omnibus habeat *ſimilitudinem mixtam*, ùt dictum P. 3. Poteſt ergo quodlibet de quolibet affirmari, & negari ſive jam propriè, ſive impropriè. *Clarius.* Omnia *ſimilia* ſunt; quæ autem *ſimilia* ſunt, aliquo modo *idem* ſunt; ergo quidlibet per quidlibet probari poteſt, & hoc modo ſecundo oſtendi quorumlibet duorum identitas inter ſe per quodlibet aſſumptum pro tertio. *Item* omnia *diſſimilia* ſunt; quæ autem diſſimilia ſunt, aliquo modo idem non ſunt. Ergo & quorumlibet duorum non identitas aliquo modo oſtendi poteſt per quodlibet aſſumptum pro tertio.

Hæc interim breviter inſinuâſſe ſufficiat. Si faverint Superi, de his aliquando diffuſiùs.

Ultima pertinentia non inficeta.

QUæris primò. *An aliquid in hoc libello ſit novi?* R. *non pauca.* Si nihilominus tibi videntur antiqua, hoc tamen ipſo facta ſunt nova, quòd compendioſè relegendo memoriam eorundem renovaveris.

Quæris ſecundò. *Quiſnam ſit ille Magiſter, qui doceat ea, quæ dicta ſunt, omnia faciliter in praxin redigere?* R. experimentum in variis me feciſſe, & Præceptorem haud meliorem inveniſſe, quàm ſit ille Magnus *Magiſter Uſus.* μελέτη τὸ πᾶν. Inter vias Regias ad omnes Scientias & artes optima eſt *Exercitatio.* Applica manum ad aratrum & experire.

Quæris ſecundò. *Quidnam faciendùm, ſi poſt omnia littus ares? Reſpondeo.* Si poſt ſedula ten-

tamenta videamus à nobis aliquid fieri non poſſe, optimum eſſe, rem illam relinquere.

Dicis penè ſtomachabundus: *Impertinens ad pertinentia Reſponſio*! Et hæc & alia totô libello ſparſa ſimiliter occurrere mihi potuiſſent. *Reſpondeo.* nolim inficias ire. nec valeo quidquam reponere, quàm

OVUM
COLUMBI.
VALE
&
FRUERE.

Sed eondum finis mi Lector! nam Tu non es, in qua quieſcam. Utilitas tua, cui in hoc opuſculo ſtudui, finis eſt proximus, non ultimus. Sit ergo

EPILOGUS
Ad Finem ſinè Fine.

Inſcriptio ultima totius opuſculi pericyclica, in qua reditur in circulum, à principio ad finem, & à fine ad principium.

DEUS
OPTIME MAXIME!
α & ω.
Principium ſine principio!
principiorum omnium primum
Principium!
A Te incepi
Viam Regiam
ad omnes Scientias & Artes.
Tu
Viatorum & comprehenſorum

Prin-

Principium ſumme Regium,
REX REGUM!
A Te incepi
Artem Univerſalem Sciendi.
Tu
omnium Scientiarum Concluſio
ſine Majore *&* Minore:
Æqualis *Pater*!
Æqualis *Filius*!
Æqualis *Spiritus ſanctus*!
A Te incepi
Artem Combinatoriam
Tu Mundum univerſum
in numero & pondere
Divine combinâſti;
Et tandem Divino-Humane
Te ipſum & Hominem,
DEUS-HOMO!
A Te incepi
Artem Analogicam,
Tu
rerum omnium Speculum
& Analogia:
Ab omni creato intellectu
æternùm incomprehenſibile
Ænigma.
A Te incepi
Artem Univerſalem Hebræorum,
DEUS Abraham!
DEUS Iſaac! *DEUS Jacob*!
O Aleph Triunum!
A Te incepi

Artem Pythagoræorum,

Tu

Super-Pythagoricus Silentii

Amator.

Totâ æternitate locutus

Unicum VERBUM,

A Te incepi

Artem Ariſtotelicam,

Et in hac

10. prædicamenta.

Tu & mundus ſunt omnia,

omnia Decas.

Tu Unitas,

& mundus rotundus nulla.

A Te incepi

Artem Lullianam

Et Lulliano-Kircherianam.

O! infinita

Bas. Mdo. Do. Pa. Sa. Vo. Vi. Ve. G.

A Te incepi

Artem Reſolutorio-

Compoſitoriam.

Tu

Creatrice dexterâ

Dexterrime compoſuiſti omnia,

Ens ſimpliciſſimum

& ſolum ſine compoſitione!

DEUS!

Ultimus omnium Finis

ſine Fine!

Ad Te redeo & in Te.

In Te finio

Ar-

Artem Compoſitorio-
Reſolutoriam.
Quidquid eſt, eſt à Te,
reſolvuntur ultimùm omnia in Te.
Ens ſimpliciſſimum,
Et ſolum ſine Reſolutione!
In te finio
Artem Lullianam,
Et Lulliano-Kircherianam.
Novenarius in hac Arte
Claudit omnia;
Præter Tè, qui claudi non potes.
Tu!
Ante omnia, per & ſuper omnia,
poſt omnia.
In te finio
Artem Ariſtotelicam.
Tu
Medius *omnium* Terminus,
Optimus Finis,
hoc eſt;
Αριςοτέλης.
In te finio
Artem Pythagoricam.
A, a, a, neſcio loqui
Te decet Hymnus in Sion.
Hieronymus:
Tibi ſilentium Laus in Sion;
In te finio
Artem Analogicam.
Redeo ad Prototypon.
Imago & ſimilitudo Tua;

In

In te finio
Artem combinatoriam.
Ceſſet binarius inter me & Te:
Sim indiviſus à Te.
Unus Spiritus tecum.
In te finio
Artem univerſalem Sciendi.
Sufficit mihi,
Si neſcius omnium, omnia ſciam in Te:
Avarus Intellectus,
qui non ſatiatur Te.
Denique
In te finio
Viam Regiam
Ad omnes Scientias & Artes.
Fui Viator, *ſim* comprehenſor.
Non vager ampliùs extra Te:
O!
Finis ſine fine!
ſine principio Principium!
α & ω.

OPTIME MAXIME
DEUS!

MANTISSA
THESIUM
CURIOSARUM PHILOSOPHICARUM

Pro

Suprema Philoſophiæ Laurea propugnatarum

A

PRÆFATO
PERILLUSTRI DOMINO
DEFENDENTE
In Aula Carolina Pragenſi
PRÆSIDE
ut ſuprà

THESIS I.

OBjectum Logicæ, & quidem *attributionis*, eſt Ens Rationis. Non tamen chimæra; ſed, ùt aliqui vocant, rectè cognitum.

Incidens curioſum.

An Hippocentauri, Satyri, ac Sirenes ſint verè homines? Fabulæ, imò chimæræ putantur ab aliquibus; & ridebunt nos, ſi dicamus dari. Dari tamen patere videtur Auctoritate, Exemplis & Ratione. *Vide Schottum Phyſic: curioſ: l. 3. c. 1.* Ubi etiam oſtendit (*& bene*) ejuſmodi monſtra externâ quidem ſpecie hominem & equum, aut capram, aut piſcem retuliſſe, at ſecundùm naturam vel fuiſſe meros equos, aut capras, aut piſces, vel naturam habuiſſe ab homine & equo, capra, & piſce diſtinctam. Cauſam addit duplicem, tum quòd ex Viro & beſtia, aut ex beſtia & muliere homo naſci haud poſſit, tum etiam, quòd hujuſmodi monſtra nihil in actionibus ſuis humanæ ratiocinationis oſtenderint, quod ſciatur. Fari enim poſſunt & pſittaci aliæque aves, crucem formare aliaque ſimilia poſſunt ac ſolent ſimiæ. Nec DEI creatoris providentiæ, nec Redemptoris bonitati conſentaneum videtur homines ab Adamo per ſeminalem propagationem deſcendentes (alios enim homines ſana Catholicorum doctrina non agnoſcit) Sylvis aut mari perpetuò addicere, & ab hominum aliorum conſortio penitùs avellere;

THE-

THESIS II.

SIgnum eſt, quod ad hoc inſtitutum eſt, ut ducat potentiam in cognitionem alterius. Aliud eſt naturale, aliud non naturale. Inter non naturale ſunt voces.

Incidens curioſum.

An Bruta animalia verè loquantur, dum voces humanas articulatas proferunt? Hyæna ſermonem humanum inter Paſtorum ſtabula aſſimulat, nomenque alicujus addiſcit, quem noctu evocatum lacerat. *Plin. l. 8. hiſt. nat. c. 30.* Pica Venatoris vocem tam exactè fingit, ut canes decipiat, atque ad ſe, dum Heros ſuos credunt, alliciat. *Niphus apud Geſner. l. 3. de Avib.* Bettus è Soc. noſtra narravit Biſciolæ ſe ex legati Hiſpanici feneſtra Genuæ audiviſſe Pſittacum litanias canentem. *Deuſingius in diſſert. de loquela Brutorum* teſtatur ſe vidiſſe fringillam, quæ quotieſcunque ſe ad cantum componebat, aliquoties prius hæc verba: ſing Männichen/ hoc eſt, *cane virunculE,* præmittebat articulatè ac deinde cantum auſpicabatur. *An ergo propriè loquuntur?* haud quaquam, inquit *Schott. l. 7. Phyſic. curioſ.* cum Ariſtotele *probl. 1 ſect. 11.* Enunciant ſolùm illa, quæ ab hominibus didicêre & quorum ſignificationem ignorant, nec ullum Brutum intendit verbis illis internos conceptus manifeſtare, quod tamen à Doctis ad locutionem requiritur.

THESIS III.

PRopoſitiones de futuris contingentibus non ſunt veræ vel falſæ determina-

 mina-

minate. Intellige, ſi futura adhuc contingentia ſunt; aliud eſt, ſi jam aliquo modo præſentia ſunt.

Incidens curioſum.

An Aſtrologi judiciarij verè calleant artem, & quam, futura prædicendi? De celeberrimo præcedentis ſeculi Aſtrologo, qui *Neſtradamus* vocabatur, jactari ſolitum erat: *Noſtra damus, cùm falſa damus.* Et verò experientia ſat ſuperque hoc pridem demonſtravit. Nec ullo aſtrorum proxenetico officio poſſunt futuros eventus libertati humanæ ſubjectos certò prædicere. Ex ſe tamen (*inquit Niquetius l.3. de Phyſiogn. human. c.4.*) poſſunt verum prædicere caſu & fortuitò: quis enim toto die jaculans non aliquando collimet in ſcopum? Inter multas lutoſarum falſitatum ſordes facilè una poteſt veritatis gemma latere. *ita ille.* Accedit, quòd multa ex uſu rerum humanarum, ex peritia multis experimentis collectâ, ex temporis corporiſque habitudine, conſuetudine, ſtudio, majorum proſapia, alijſque ſimilibus, augurentur. Præterea ſæpe Auctore Dæmone de futuris enunciant, *ut ait Sixtus V. in Bulla Anno 1586. contra exercentes Artem Aſtrologiæ Judiciariæ.* Dæmon autem multa futura ſuis revelat; tum quòd propter exquiſitam cauſarum cognitionem probabiliſſimè conjectet; tùm quòd narret facienda, quæ jam fieri cœperunt; tum quòd dicat futura, quæ facere decrevit.

THESIS IV.

Materia prima, formarum ſubſtantialium primum ſubjectum, pura poten-

tiā

tia eſt, ac ità pura, ut ne quidem propriam habeat exiſtentiam, ſed exiſtat per formam.

Incidens curioſum.

An Dæmones poſſint mutare homines in beſtias? Hominum in beſtias, putà in lupos, canes, ſimias, feles &c. mutatorum exempla plurima ſunt, & nota. At modus, quo mutentur, non ità notus. Putant aliqui Dæmonem latenter ſurripere materiam primam cum organis humanis ac tantiſper ferinam ſubſtituere, ac deinde humanam reſtituere; ità ut eadem anima rationalis nunc in humano, nunc in belluino deliteat corpore. Aliqui ipſam etiam rationalem animam tantiſper in irrationalem commutari dicunt. At hæc omnia multùm abſurda. *Delrio l. 3. Diſquiſit. Magic. q.* 18. ſtatuit tranſmutationes hujuſcemodi deluſorias ſolùm eſſe ac fieri modo præcipuè triplici. *Primò.* aliquando Dæmon illum, quem in beſtiam tranſmutare vult, ſubtrahit ex aliorum oculis, & alicubi in loco abdito ſoporat; ipſe vero aſſumpto beſtiæ corpore vel vero vel ex aere formato & ſibi circu dato illa coram alijs gerit, quæ putant homines ab alie homine in beſtiam mutato parrari. *Secundò,* aliquando illis ipſis, quos ſub beſtiarum forma apparere vult, ferarum exuvias aptiſſimè circumdat. *Tertio.* Magis aerem circumdat effigiem belluæ & membra phantaſtica membris humanis circumponit, ut & ſibi & alijs veræ beſtiæ videantur.

THESIS V.

NOn poteſt quidquam exiſtere actu ſinè omni actu; adeoque materia prima exiſtere nequit ſinè omni forma ſubſtantiali. Quamvis forma exiſtere poſſit ſine omni materia.

Incidens curioſum.

An feminæ ſint monſtra in ſpecie hominum? Materia ſinè forma, revocat mihi in memoriam Monſtra partuſque illos informes Naturæ. De his habent plurima curioſi. Nos in ſola quæſtione propoſita maneamus. Ariſtoteles feminam vocat *Marem occaſionatum & errorem naturæ*, quòd natura ſemper intendat optimum, hoc eſt, Virum. Nos pace tanti Philoſophi negamus feminam eſſe aut monſtrum aut naturæ vitium: quamvis imperfectior ſit Mare, abſolutè tamen non imperfectio aut error. Qomodo enim peccatum naturæ, *inquit Schottus in appendice ad l. 5. Phyſic. curioſ.* quod naturæ Auctor ſapientiſſimè ordinavit? imò quod ipſemet in Mundi exordio ex coſta viri fecit? Et certè in formatione corporis feminei DEUS & natura per ſe intendunt feminam producere ex materia taliter vel taliter diſpoſita, ut per ipſam & marem genus humanum coſervetur. Nec verum eſt, Naturam ſemper optimum in ſpecie primariò intendere, cùm non intendat virum, ſed infantem gignere ex Matre. *ità illè.*

THESIS VI.

FOrmæ partiales implicant contradictionem; ſimiliter forma corporeitatis.

Auris tamen ab oculo pluſquam accidentaliter diſtinguitur.

Incidens curioſum.

An cadaver occiſi ad præſentiam occiſoris emittat ſanguinem naturaliter? Occaſione formarum partialium multa ſolent dici de forma cadaverica. Nos ſolùm quæſtionem propoſitam ſolvamus. Dicimus igitur *cum Kircherol. 3. de Magnete. 9.* id ſæpe naturaliter fieri. Nam cum in violento homicidio, *inquit ille*, ut plurimùm vehementiſſimi affectus animi, iræ, odium &c. interveniant, & cùm hæ paſſiones propter bilis effuſionem & ſanguinis immodicam alterationem certùm venenum ad inferendum faſcinum generent, ex quo varij vapores & ſpiritus etiam in vicina corpora effundantur, ut, ſequitur, dum duo dictis affectibus ſe mutuò aggrediuntur, uterque hujuſmodi ſpiritus antipathicè diſſidentes in ſe invicem per os, nares & oculos efflent. Illi autem ſpiritus in illorum humoribus recepti reciprocè aliquantùm perſeverant. Dum igitur occiſor in conſpectum occiſi venit, ſpiritus occiſoris in ſanguinem occiſi recepti, & cum ejus ſpiritibus contrariis commixti, concitant ſanguinem & vi rarefactivâ expellunt per aperta vulnera; unde ſequitur fluor. Hoc autem maximè contingit, quando non multò poſt occiſionem factam venit occiſor in occiſi conſpectum. Quòd ſi longo tempore poſt, quando jam prorſus cadaver refrixit, & ſpiritus evanuerunt, idem contingat, dicerem à DEO concitari ſanguinem ad prodendum occiſorem, vel, DEO permitente, à cacodæmone. *ità ille.*

THESIS VII.

VNio non eſt realiter diſtincta ab extremis, ſed extrema ultimate ad ſe invicem determinata, unio ſunt; nec hæc ab illis ultimate determinatis ſeparari poteſt.

Incidens curioſum.

An Nabuchodonoſor Rex fuerit revera mutatus in bovem, reſolutâ unione inter materiam & animam rationalem? habetur ejus hiſtoria *Daniel:* 4. Ajo *primò* Nabuchodonoſorem ità fuiſſe mutatum in beſtiam, ut tamen manſerit verus homo. Nam, *inquit Schottus Phyſic. curioſ. l. 3.* Si non manſiſſet verus homo, non poſſent verificari illa, quæ de Nabuchodonoſore dicuntur *Dan.* 4. nec punitus fuiſſet idem, qui peccâſſet, ſed bos pro ipſo. Ajo *ſecundò* Nabuchodonoſorem ità mutatum in beſtiam, tam quoad animam, quàm quoad corpus, ut verè dici poſſit eum fuiſſe aliquâ ratione beſtiam. Nam facultates animæ, *inquit Schottus*, ità fuerunt vitiatæ, ut putaret Rex ſe eſſe bovem ferum, & appeteret ſylvas & fænum &c. Fuit quoque cordis & corporis, ſenſuumque omnium temperamentum ità efferatum, ut eſſet ſimile temperamento beſtiarum, citra tamen humanæ naturæ amiſſionem: cùm enim comederit fænum ùt bos, habuit ſtomachus aliam temperiem, ut fænum concoqueret &c. Habuerit nihilominus lucida interdum intervalla, ut agnoſceret ſtatum, in quo fuerit, & in quo ſit. Nec ejus Metamorphoſis dici poteſt tantùm præſtigiatoria fuiſſe, ſi Sacræ literæ bene perpendantur. Exotica etiã fuit ejus figura: pili ferini, inceſſus beſtiæ &c.

THE-

THESIS VIII.

Poſſibilitas creaturarum ab æterno non fuit aliquid diſtinctum à DEO. Fuit ſcilicet idem cum omnipotentia DEI creaturarum productiva. Quamvis impoſſibilitas impoſſibilium cum DEO idem non ſit.

Incidens curioſum.

An inter poſſibilia ſit Quadratura Circuli? Ajunt multi Recentiores Mathematici, inventam eſſe per Gregorium à S. Vincentio in Opere Ejus Geometrico admirabili. Ergo poſſibilis eſt, ſi inventa eſt. Nihilominus ingenii exercendi gratiâ non malè defendi poteſt impoſſibilem eſſe ex eo, quod non daretur circuli, ac ei æqualis Quadrati una communis menſura.

An inter poſſibilia ſit Motus perpetuus artificialis? Magiſter meus Moretus docuit impoſſibilem eſſe, quòd ſequeretur idem fore gravius ſeipſo. Oſtendit probabiliter poſſibilem in gnomone Scheineriano circa centrum terræ moto *Schottus in Magia Centrobaryca*: probabiliter impoſſibilem *Ricciolus in Almag. novo*.

An inter poſſibilia ſit ignis artificialis perpetuus? Negat *Kircherus*, quod oleum inconſumptibile inveniri non poſſit, ùt ipſe experimento ſe habere ait in Asbeſto, ex quo, ſi uſpiam, hujuſmodi oleum extrahi deberet. Affirmat *Scotus*: ſi enim *inquit ille*, ellychnium ex Asbeſto confectũ incon-

ſumptibile eſt, uti multâ experientiâ patet, eccur non & oleum? Et hoc modo Veterum illas in Cryptis lucernas arſiſſe perpetuò docet Idem.

An inter posſibilia ſit navigatio in aere? Legi de hoc pridem Patrem *Lana* in *Prodromo all' arte Maeſtra*, & mihi penè perſvadeo, cùm æther aere levior ſit, ac ita navis confecta ex leviſſima materia ſuperficiem poſita in aere ſuſtineretur remiſque huc illuc impelli poſſet. Imò *Lana* oſtendit etiam hoc fieri poſſe in medio aeris, ſi navi affigerentur globi, in quibus extracto, quantum poſſibile, aere merus quaſi æther maneret.

THESIS IX.

QVòd duæ cauſæ efficientes totales in actu primo poſſint in unum effectum influere, certum eſt. Implicat autem, ut influant duæ totales in actu ſecundo. Influerent certe & non iufluerent.

Incidens curioſum.

An orbis terrarum per vectem moveri poſſit à quovis minimo pondere aut pontentia? ſi hoc verum eſſet, una nimia cauſa poſſet plus, quàm etiam millæ aliæ fortiores ſimul, aliter applicatæ. Et verum eſt ſinè dubio, ùt demonſtrant Machinici, in vecte primi & ſecundi generis, quo quodvis pondus, etiam Orbis terrarum, à quavis potentia moveri poteſt. Ut itâ non ſit arrogans illud Archimedis: δός μοι, πῦ ςῶ, καὶ κινῶ τὴν γῆν, *Da mihi, ubi ſtem, & terram movebo.*

THESIS X.

NOn ſunt entia multiplicanda ſinè neceſſitate. Adeoque non diſtinguitur realiter actio à cauſa & effectu. Sed actio activè ſumpta eſt ipſa cauſæ virtus ultimatè applicata; ſumpta paſſive, ipſe effectus.

Incidens curioſum.

An etiam voces & verba vim aliquam naturalem habeant efficiendi, præſertim prodigioſos illos effectus, quos jactant Incantatores? Putat certè *Agrippa in Occulta ſua Philoſophia* ſe ſolis verbis quidlibet efficere poſſe, quòd in forma ſignificationis eorum lateat vis rei quaſi aliqua vita, quæ reſultaverit ex influxibus cœleſtibus. Et probant Incantatores incantando ſerpentes,ac alia multa animalia. Sed falſum eſt, inquit *Delrio l. Diſquiſ. Magic. q.* 13. Non fiunt talia virtute naturali, quæ verbis inſit, ſed à malo Genio ex pacto concurrente aut explicito aut implicito. Unde ſæpe ij ipſi, qui animalia incantârunt, ab iiſdem necati ſunt. Et patet inanitas ex ipſa ridicula ineptaque Incantatorum formula. ità *Delrio.* Et quid? vel verba ſumuntur formaliter vel materialiter, inquit *Schottus in Phonurgica.* Si formaliter? vim naturalem nullam habent; cùm ſignificatio ſit pura puta moralis impoſitio. Si materialiter? ſunt ſonus, qui certè ſimiles effectus producere non poteſt, utpote quibus efficiendis neceſſarius eſt aut motus localis, aut Phyſica ac vehemens alteratio aut Agentium naturalium cohibitio impeditioque.

THESIS XI.

DEUS omnium cauſa, non tamen peccati; & quidem nec moralis, nec phyſica. Privatio eſt, produci non poteſt. Homo tamen peccatum facit, & erunt vitia, donec homines.

Incidens curioſum.

Quot ſint Dæmones in Inferno & quot homines mali ſint ibidem futuri? Quod attinet homines, erunt plures mali in Inferno, quàm boni in Cœlo nam *multi vocati, pauci electi.* Quod attinet Dæmones, ſunt pauciores in Inferno, quàm Angeli in Cœlo. Nam *Draco traxit tertiam* tantùm *partem ſtellarum.* Apoc. 12.

THESIS XII.

INfinitum aliud negativum, aliud privativum. Privativum eſt, cujus ſemper aliquid extra eſt. Categorematicum autem impoſſibile eſt.

Incidens Curioſum.

An numerus arenæ Maris infinitus? & ſi finitus quantus ſit? Admirabile ac ingenioſum hoc problema ſolvit *Archimedes in lib. de arenæ numero.* Imò numerum invenit etiam omnium minutiſſimarum arenularum, ſi iis repletus eſſet totus Mundus uſque ad concavum Firmamenti. Eſt autem iſte: ſcilicet unitas cum quadraginta novem nullis,

hoc

hoc eſt, decies mille milliones millionum millionum millionum millionum millionum millionum millionum. Cujus numeri ſubtiliſſimam demonſtrationem, quam cum Rege Gelone tota antiquitas ſimul ac poſteritas ſummopere admirata eſt, videre licet optimè declaratam *à Clavio in c. 1. Sphæræ.*

THESIS XIII.

VBicatio nec realiter, nec modaliter diſtincta eſt à loco & locato. Sed eſt denominatio extrinſeca locato à loco ambiente.

Incidens curioſum.

An Diabolus poſſit facere, ut corpora mutuò ſe penetrent. v. g. quando ſagæ videntur ingredi ac egredi Janûis clauſis & feneſtris? affirmant hoc Striges Lotharingicæ apud *Nicol. Remigium l. 2. Dæmonol. c. 4.* Ego autem nego contra quaſcunque tandem Striges & dico Dæmonem hoc non poſſe, cùm ſit ſupra vires naturæ. Aliud poteſt Dæmon: tam aperire & claudere ſubtiliter feneſtras ac oſtia, ut etiam dormientes in cubiculo non evigilent, ſicut Angelus educens Petrum è carcere ità, ut Milites non adverterent. Imò adeò celeriter etiam Januas aperit & claudit Dæmon & latenter, ut etiam vigiles id non advertant, præſertim ſi oculorum præterea præſtigias adhibeat. Vide *Delrium diſquiſit. magic. l. 2. quæſt.* 17.

THESIS. XIV.

COrp9 unũ in duob9 locis eſſe non poteſt; nec circũſcriptive nec defintive.

Vtrum-

trumque etiam abſolute implicat contradictionem.

Incidens curioſum.

An Dæmon efficere poſſit, ut idem corpus ſit in diverſis locis eodem tempore? Refert *Origenes l. 6. contra Celſum* Pythagoram eodem tempore in duabus urbibus conſpectum. Berengarium Hæreticum & Magum eâdem nocte Romæ fuiſſe & in Turonenſi Eccleſia lectionem decantâſſe tradit in Chronico *Nangiacus* Anno 1045. Et alia hujuſmodi multa referuntur exempla. His tamen non obſtantibus dico Dæmonem hoc efficere non poſſe, cùm vires naturæ ſuperet, imò in mea ſententia etiam abſolutè implicet replicatio corporum. Ad exempla, quæ adferri poſſunt, ajo illa vel per præſtigias & oculorum illuſiones contigiſſe, ut viderentur ii, qui alibi erant, eſſe, ubi non erant; vel Dæmonem abſentes in aſſumpto ex aëre corpore repræſentâſſe.

THESIS XV.

DUratio non eſt aliquid ſuperadditum realiter diſtinctúmque à re durante & tempore. Sed eſt idem ſecundùm rem cum rei durantis exiſtentia, diverſa tamen ratione.

Incidens curioſum.

Cur in annis Climactericis numerus ſeptenarius lethalis, curq; in diebus Criticis tam notabiles fiant mutationes? Andreas Laurentius *l. 3. de criſibus c. 13.* ait cauſam eſſe duplicem: unam materialem, alteram efficientem. Illa eſt quilibet humo-

humor noxius quantitate vel qualitate peccans. Iſta vel univerſalis vel particularis. Univerſalis & remota ſunt corpora cœleſtia; particularis & proxima eſt ipſa natura, quæ ſic motiones ſuas ſtatis circuitibus perficit, quaſi ratione uteretur. Si quandoque errat, errat materiæ vitiô. Et ſi criſis aut celerior aut tardior, id cauſæ partim materiali; partim efficienti tribuendum. At cur Criſis contingit die nunc pari, nunc impari? provenit hoc à ſola cauſa materiali, ſcilicet à peculiari cujuſq; humoris motu. Bilis nimirum tertio quoque die movetur, humor melancholicus quarto, quotidie pituita. *Ità ille*; Vide etiam *Delrium in Diſquiſit.*

THESIS XVI.

Quantitas duplex eſt; una diſcreta, altera Continua. Diſcreta, numerus eſt: Continua diviſibilis eſt in ſemper diviſibila. Habet partes, non actu, ſed potentiâ.

Incidens curioſum.

An ſigilla Planetarum ſint verè alicujus virtutis & efficaciæ? Sunt hæc ſigilla numeri certi quadrati in certas figuras & areolas diſpoſiti ac ſeptem metallorum Planetis appropriatorum laminis congruo tempore ac horâ, certis cum ritibus inſculpti, ità ut perpendiculariter, tranſverſim, diagonaliter, ſemper unum eundemque numerum reddant. De his quid dicendum? id, quod dicit *Delrio in Diſquiſit. Mag.* Nullam vim habent naturalem ad illos effectus, quos

ja-

jactant Arithmagi, producendos. Numerus eſt quantitas diſcreta, per ſe non eſt operativa. Nec juvant inſcripta nomina Angelorum, an diabolorum? nec characteres apud varios tam vari, qui tamen eorundem effectuum debent eſſe productivi. Accedit, quòd illi Planetarum influxus in ſigilla nulli ſint, utpote ſuperſtructi commentum illud Aſtrologicum de die & hora dominii Planetarum.

THESIS XVII.

VT Agens naturaliter agat, ſit approximatum ad paſſum aut ſuppoſito aut ſaltem virtute, eſt neceſſe. An tamen divinitus in diſtans agere poſſit? dubium eſt. Nos dicimus implicare contradictionem.

Incidens curioſum.

An virgula coryli agat in diſtans, dum inclinatur ad metalla diſtantia? Negat Kircherus, Schottus, Conradus & alii multi hoc naturaliter fieri, ſed ajunt effectum contingere non virtute virgulæ, ſed aut fraude utentium, aut motione occultâ Cacodæmonis propter pactum expreſſum vel implicitum aut fortaſſis etiam phantaſiâ manum in motum concitante. *Conradus* celeberrimus Provinciæ Noſtræ Mathematicus ſcripſit Schotto has rationes. *Primo.* quòd æquilibrata non moveat ſe ad metallum, ùt in Academia Pragenſi in publica Diſput. oſtendit. *Secundo.* quòd in montibus metalliferis inter creſcendum deberet inclinari.

Tertio. quod iis, quibus percutit, impetu percutiat æquali ad metallum magis & minùs copioſum. *Quartò*, quòd auditum ſit ab aliquibus Metalloſcopis: Es können nicht alle mit der Ruthen reden. *ità ille.* Accedit, quòd in præparatione virgulæ adhibeantur tam varia, ac aliqua verè ſuperſtitioſa.

THESIS XVIII.

MVndum ab æterno non fuiſſe, fide certum eſt. An autem demonſtrari ſimpliciter poſſit, quòd eſſe ab æterno non potuerit? non ità certum eſt. Nos aſſerimus demonſtrari ſimpliciter non poſſe.

Incidens curioſum.

An interitus Mundi poſſit prædici? ſcriptum eſt: *de die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli Cælorum.* Matth. 24. uſque ad mortem ſcilicet Antichriſti, inquit *Cornelius.* Eâ verò peractâ, *inquit ille*, probabiliter cognoſci poterit, licet non certo ſciri. Nimirum probabile eſt reſurrectionem generalem fore die Paſchatis, quo Chriſtus reſurrexit. Erunt autem à nece Antichriſti (ùt *Hieron.* eruit ex verbis Danielis) præcisè 45. dies uſque ad diem judicii, & ità Antichriſtus occidetur finitis Bacchanalibus primo die Quadrageſimæ dabiturque deinde Quadrageſima tota lapſis, ad pœnitentiam, ut ſe præparent ad ultimum Paſcha. Cete-

rum

rum *niſi* ex Decreto DEI *fuiſſent abbreviati dies propter electos*, probabile judicant aliqui ex motu Cœli duraturum fuiſſe Mundum ab hinc annis ſaltèm 20167. tunc enim motum ſuum proprium abſolveret firmamentum.

THESIS XIX.

Coelum movetur ab Intelligentiis. An per impulſum? an per ſolum imperium? diſceptatur. Probabilius judicamus per ſolum imperium moveri.

Incidens curioſum.

An etiam Angeli defatigentur tot jam annis continuè movendo Cœlos? Negativè reſpondet *Schottus in Phyſic. curioſ. l. 1.* quod in Spiritu applicatio virium ſolâ egeat ſubſtantiâ ſimplici ac voluntate, abſque inſtrumentorum ſubſidio, quæ uſu ipſo conſumuntur, ùt in animali contingit, quod connitendo & continuando vires ſeu ſpiritus exhaurit, ipſoſque nervos contentione nimiâ debilitat.

THESIS XX.

Accidentia materialia ſubjectantur in toto, etiam quantitas in homine. Imò implicat, ut ſubjectentur in materia ſola. Quantitas tamen materiæ proprietas eſt, & accidentium aliorum ſubjectum.

Incidens curioſum.

An & quomodo Dæmon poſſit homines reddere impenetrabiles ſeu ùt vulgò vocant, congelatos? Impenetrabilitatem dat quantitas. In propoſita tamen quæſtione ſumitur aliter impenetra-

b li-

bilitas, & ſonat idem, quod immunitas à læſione & vulnere. Hanc impenetrabilitatem à dæmone tribui docent quotidiana impiorum exempla, qui putant, ſe fore invulnerabiles, ac ſæpe etiam ſunt, ſi arma certo ritu incantent, vel ſi ferant interulam lineam horrendis inſcriptam imaginibus, quam vocant *Camiſiam inferni*, vel ſi periapta quædam ferant varijs characteribus magicis inſignita, vel orationes ad ſpeciem ſacras &c. Sæpe tamen vulnerantur minùs cogitantes, aut quia diabolus illos decipit, aut quia deficiunt in aliqua conditione, aut quia DEUS potentiam diaboli retundit. At, quomodo præſtat hæc dæmon? præſtat hoc, impetum armorum retundendo, ubi ad corpus lædendum perveniunt, quod facere poſſunt Spiritus multis modis.

THESIS XXI.

GEneratio ſubſtantialis eſt mutatio in totum, nullo permanente ſenſibili ut ſubjecto eodem. Fit igitur reſolutio uſque ad materiam primam.

Incidens curioſum.

An & quomodo ab initio Mundi piſces & aves ex aqua, cetera animantia generata fuerint ex terra? Generata eſſe ex aqua & terra docent Sacra Biblia. At quo modo? An aqua & terra verè cauſa efficiens fuit? Solvit *Suarez l. 2. de op. ſex dier. c. 10.* aitque aquam & terram ſolùm cauſam materialem fuiſſe; DEUM verò ſolum efficientem. Quomodo enim, inquit ille, aqua & terra naturali virtute habuerit illam efficientiam? non per ſe, nec quòd in ſe continuerit ani-

malium ſemina: nam eccur jam non habeat idem? & ſi habuiſſet, quomodo tam citò, unô quaſi momentô, omnia produxiſſet? nec credendum ſupernaturaliter elevatam fuiſſe, cùm hoc ad primam illam naturæ conſtitutionem accommodatum haud fuiſſet, ideoque ſinè Divina revelatione fingendum non ſit. *ita ille.*

THESIS XXII.

INtenſio ſpecies alterationis eſt. Per additionem gradûs ad gradum non fit. Explicatur optimè per majorem in ſubjecto radicationem.

Incidens curioſum.

An Ignis refrigeret? Etiam per *Antiperiſtaſin* fit intenſio. Per *Antiperiſtaſin* autem (quod mirum *non Philoſopho*) ignis verè refrigerat. Sic aqua fervens expoſita ſoli citiùs frigeſcit, quàm in umbra. Quòd nimirum reſiduum aquæ frigus contrario ſolis obſeſſum calore intendatur & juvet aquam, ut contrarium calorem expellat, friguſque copioſius emanet. Calor verò tantò faciliùs cedit, quantò minus hoſtem in aere vicinum habet.

THESIS XXIII.

MIxtum quidem ex elementis componitur, elementa tamen in eo formaliter non ſunt, ſed virtualiter tantum per primas qualitates refractas.

Incidens curioſum.

An Elementorum ſphæræ in phiala repræſentari poſſint? hoc technaſma duplici ratione intelligen-

gendum eſt, inquit *Kircherus in Mundo ſubter*: primò ut elementa circa centrum convoluta perfectè elementarem ſphæram æmulentur, quod fieri non poteſt, cùm extra centrum terræ aliud centrum circumglobatis ſphæris elementaribus fundare ſit ſolius DEI. *Secundò*, ut liquores intra cylindraceam phialam concluſi, unus alteri horizontaliter & paralle è ſupernatent. id quod nullo penè negotio confici poteſt. *Vide lib. 3. Artis Magneticæ Kircherianæ.*

THESIS XXIV.

Vita alia eſt vegetativa, alia ſenſitiva; alia rationalis. Vivere autem eſt, movere ſe per ſe ab intrinſeco.

Incidens curioſum.

An homo ſibi vitam prorogare poſſit in perpetuum? ſcriptum eſt: *Statutum eſt omnibus ſemel mori.* Ceterùm præſcindendo ab hoc decreto ſolvi aliquando hoc problema in Aula Carolina. Difficultas eſt in hoc, quòd calor vitalis agendo in alimentum repatiatur, ſemperque debilitetur aliquantùm. Lege *Mathiolum* de rore Solis & *Helmontium* de Cedris in Libano, & dices non eſſe impoſſibile. Alii etiam longiſſimæ vitæ cauſas adferunt has: compagem corporis firmam, Cœli clementiam, ſoli ac regionis bonitatem, cautiſſimam victus rationem, rerum utilium obſervationem in cultu corporis, voluptatum deteſtationem ac fugam; ſæpe tamen etiam ad ciborum ac laborum duritiem ab infantia aſſuetudo omniſque mollitiei contemptus, vitam prorogant, ùt

paſſim in Germania patet in hominibus agreſtibus vitam in ſylvis ferè durisſimos inter labores traducentibus, vixq; pane & aquà ventrem explentibus.

THESIS XXV.

Conceptus Spiritûs non in indiviſibilitate, non in penetrabilitate, ſed in independentia à quantitate formaliter conſiſtit.

Incidens curioſum.

An & quomodo Spiritus ſeu jam Angelici ſeu Diabolici corpora aſſumant? Quòd aſſumant, certum eſt hiſtoriis. Quid autem requiritur ad hoc? Reſpondeo *cum Communi*, ut præter intimam ac ſubſtantialem præſentiam ad corpus, per illud perſonas ſuas ac proprietates repræſentent, operationeſque ſpeciales exerceant. Et his conditionibus poſitis omnes intelligunt Spiritum verè apparere in aſſumpto corpore. Aſſumunt autem boni & mali Angeli ordinariè corpora aerea ità ex vaporibus ac exhalationibus ceteriſq; mixtis facilè ſolubilibus compacta, ut colores animalis aſſumpti ac figuram extrinſecus referant. Dæmones tamen etiam aſſumunt interdum corpora mortuorum, ſed reproborum.

THESIS XXVI.

VNum eſt indiviſum in ſe, ac diviſum à quolibet alio. Diviſio autem ſeu diſtinctio, conſiſtit in negativo.

Incidens curioſum.

An unus poſſit eſſe unus, ſi deſint alii? ſinè dubio,

dubio, *inquit P. Tylkwosky in Philoſoph. curioſ.* Nam ſi per impoſſibile non eſſet poſſibilis creatura, à qua DEUS poſſet diſtingui, adhuc DEUS eſſet unus. Unde illud: *diviſum ab omni alio*, non opus eſt *uni* addere.

An Logicus ſit diſtinctus à chimæra? Reſpondeo: non eſt. non tamen chimæra eſt. Diſtinctio realis, relatio realis; utraque requirit extrema realia.

THESIS XXVII.

PRæciſio formalis alia perfecta, alia imperfecta. Imperfectam in Analogis, perfectam ſeu objectivam in univocis admittimus.

Incidens curioſum.

An poſſit homo à parte rei exiſtere naturaliter? Reſpondeo: nè quidem divinitus, inquit cit. Tylkovvsky. Homo, objectum præciſionum, quòd ſit, habet â præciſione. Si non præciſus eſt, non eſt. A parte rei hic homo eſt.

THESIS XXVIII.

VNiverſale Metaphyſicum eſt unum aptum ineſſe multis. A parte rei non datur, niſi in ſpeculo ac ænigmate.

Incidens curioſum.

An intellectus præter omnia poſſit facere aliquid? Poſſunt potentiæ materiales facere aliquid, ſed non omnia, inquit citatus *Tylkowsky*, cùm ab individuantibus abſtrahere circumſtantiis nequeant. Videt oculus montem ex arenis, non videt arenam ùt ſic. Intellectus ſolus poſtquam fecerit

omnia (priùs enim particularibus cognoſcuntur Univerſalia) poteſt & aliquid (*ſingulare*) attingere.

THESIS XXIX

DIfferentiæ non ſunt nihil. Sunt igitur aliquid. Adeoque ab ente præſcindi non poſſunt.

Incidens curioſum.

An differentia differat à differentia? Si differret, differentia non eſſet. Dat ceteris, quo differant: ipſa, quod differat, non habet.

THESIS XXX.

ENs involvit formaliter, quidquid eſt ens formaliter. Involvit igitur & differentias, nec ab iis poteſt præſcindi.

Incidens curioſum.

An Ens habeat differentias? involvit illas; non habet. Et ſi haberet, ab ijs præſcindi non poſſet; & ſi præſcinderetur, ens præciſum non eſſet.

THESIS XXXI.

IMplicat, ut Ens univocum ſit. Eſt nomen commune, ratio ejus partim eadem, partim diverſa. Analogum igitur eſt.

Incidens curioſum.

An Æquivoca ſint Univoca? Reſpondet *Weberus in Diſcurſibus curioſis & fructuoſis Diſc.23. de Logica.* Omnia æquivoca ſunt Univoca, & ideo ſunt univoca, quia æquivoca. Et verum eſt: non enim ità diverſam habent rationem, quin etiam una ſit.

THESIS XXXII.

PRædicamentalis Relatio non eſt complexum ex fundamento proximo & ter-

termino, Sed conſiſtit formaliter in fundamento proximo, terminum connotante.

Incidens curioſum.

An amiſſo Filio poſſit vivere Pater? non poteſt. perijt Filius? perijt Pater. Dædalus amiſſô Filiô manſit tantùm Dædalus. Unde bene Poeta:

At Pater infelix, nec jam Pater, Icare, dixit
Icare, dixit, ubi es?

THESIS XXXIII.

Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt DEUS. Dixit *corde*, non auſus eſt ore, tam nefandum eſt hoc dicere. Nos dicimus corde & ore; DEUS eſt. Imò & contra Atheos, permiſſo etiam cauſarum proceſſu in infinitum, hoc ipſum demonſtramus.

Incidens curioſum.

An DEUS fuerit heri, & an cras ſit futurus? Reſpondeo negativè! Sed DEUS ſemper eſt, æternus eſt. Pulchrè *Anſelmus* in proſologio c.22. *Tu ſolus Domine es, quod es; in quo enim aliquid eſt mutabile, non omnino eſt, quod eſt. Et quod habet fuiſſe, quod jam non eſt, & futurum, quod nondum eſt, id propriè non eſt. Tu verè es, quod es: quia quidquid aliquando, aut aliquomodo es, hoc totus ac ſemper es: & tu es, qui propriè ac ſimpliciter es.* Igitur

O ENS ENTIUM
TIBI
O. A. M. G.

)o(

WENCESLAUS SATTENWOLFF,

Provinciæ Bohemiæ Societatis JESU Præpoſitus Provincialis.

CUm Opuſculum, cui titulus: *Via Regia ad omnes Scientias & Artes* à Patre Caſparo Knittel noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, tres ejuſdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi poſſe judicaverint: poteſtate ab Admodum Reverendo Patre noſtro Joanne Paulo Oliva Præpoſito Generali ad id mihi datâ, facultatem concedo, ut typis mandetur. In quorum fidem has literas manu mea conſcriptas & Sigillo Officii mei munitas dedi Brunæ 9. Junii Anno M. DC. LXXXVII.

(L.S.)

WENCESLAUS Sattenvvolff.

Aa1 1467639

A01 146763 9

C.31.